
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
25 F
14

# VIA SCIENTIARUM DVOBVS OPVSCVLIS ABSOLVTA.

**ALTERVM DE VNIVERSIS REGVLIS,** Et principijs rectè argumentandi, in qualibetque materia rationes efformandi.

ALTERVM DE PRINCIPIIS, ET REGVLIS AB ARGVMENTIS se rectè defendendi.

EXPLICANTVRQVE FERE OMNES DISTINCTIONES RERVM, Et propositionum, & diversæ terminorum acceptiones earum.


## AVTHORE P.F.FRANCISCO A SANCTO THOMA,

**CARMELITA EXCALCÆATO,**

Et quondam artium, & Theologiæ Lectore in sua Provintia Novæ Castellæ cognomento de Spiritu Sancto.


***Cum duplici operis indice: altero capitum; altero rerum, & verborum copiosissimo; maximam nostra Scientiarum Via ostendente utilitatem.***

*Nunc primum in lucem prodit.*



Anno 

1686.




CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Ex Typographia Iuliani de Paredes.


# DICATIO OPERIS

# R.do ADM.um P. N. FR. IOANNI

## A CONCEPTIONE,

## GENERALI CARMELITARVM

## EXCALCÆATORVM.



*Ibi merito (digniſsime Paſtor) hanc* Scientiarum Viam, *dicaturus, dicaui, huiuſque operis Patronum inſtitui. Tum, quia erga me tuam ſum beneuolentiam expertus, & beneficia non ſemel poſitus. Tum, quia proprium eſt filij ſua ad, à quo dirigitur, Patrem, qui iure optimo omnium noſtrum es, dirigere. Tum denique, nam cum ille in Patronum ſit eligendus, qui benè patrocinandum agnoſcat: & te, Reverendiſsime Præſul, non ſolum titulo præclarò illo* Philoſophi, *id eſt*, ſapientiæ amatoris, *quem admiſſerat apud Laertium Pythagoras; ſed etiam illo* Sophi, *id eſt*, Sapientis, *quem modeſtè reiecerat, quando* non ſum Sophus; ſed Philoſophus dixerat, *ornatum, ſicut & virtutibus, tota Sacra noſtra Religio admirata eſt, dum ſupra*

*omnes te caput erexit. Ideò* Viam hanc Scientiarum, *quæ ad amatores ſcientiæ præcipuè dirigitur, & ſapientes non parum iuvabit, ad tuos libenter repono pedes, vt dum laborem meum iſtum, quem ex plurium annorum obſervationibus concinaui, ad illos viderim exaltatum, quòd deſidero, iam non difficilis labor appareat; nam* nullus cupienti difficilis labor eſt, *vt aiebat Quintilianus; ſed ſuavis. At, quid tot aggregare titulos, vt tantillum tibi opus dicarem? Non reſpondeo, tantillum opus revera magna capere; ſed non valere tot titulis me altius ſatisfacere. Si igitur non opus; tamèn accipe vota, quæ verè alta ſunt, nec vires ſuppetunt adimplenda. Faue, & foue, obſecro, opus, vt tanto ſit patrocinio magnum. Vale, & benè vale.*

*Obſequentiſsimus, & ſemper humilis filius tuus.*

Fr. Franciſcus à Sancto Thoma.

# FACVLTAS, ET APPROBATIO Ordinis.

FRater Ioannes à Conceptione, Generalis Ordinis Discalceatorum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, de consensu nostri Diffinitorij, vt liber, cuius titulus est: *Via Scientiarum*, à P. Fr. Francisco à Sancto Thoma, ex nostra Religione suis elucubrationibus accuratè compositus, & à gravioribus, doctisque viris nostri Ordinis (quibus ipsum videndum, & examinandum commisimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & in lucem prodeat, obtentis facultatibus necessarijs, tenore præsentium licentiam concedimus. Datis in nostro Cœnobio Matritensi die secunda Martij anni Domini millesimi sexcentesimi octogesimi sexti.

*Fr. Ioannes à Conceptione, Generalis.*

*Frater Iosephus à Sancta Teresia, Diffinitor Secretarius.*

## *APPROBATIO R. P. M. SEBASTIANI VELARDE, Lectoris Iubilati Cleric. Regular. Min. Examinatoris Synodalis, ac Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris.*

EX commiſsione, & mandato Domini Doctoris Domini Petri Gregorio & Antillon, Vicarij Matritenſis, eiuſque iuriſdictionis; per legi librum, cui titulus eſt: ***Via Scientiarum duobus opuſculis abſoluta.*** Authore R. P. Mag. Fratre Franciſco à Sancto Thoma, ex Sacra Familia Carmelitana Diſcalceatorum (ſemper à me amore ſingulariſſimo, & veneratione proſecuta) gratiſsimis oculis, attentoque animo proſpexi, non corpulentum, nec folijs inflatum volumen, quòd mentem noſtram cœca involuat caligine, cuius pondus grave incauta puerorum ingenia trepidant, ad quem ſane modum, olim dicebat Seneca epiſt. 74. ***Quemadmodum aves etiam inanis fundæ ſonitus territat, ita nos, non ad ictum tantum exagitamur, ſed ad crepitum.*** Qui penſiculatius horum opuſculorum veritatis pondera expenderint, reperient, non inanem foliorum ſtrepitum, non quorumdam ſemidoctorum ſtillum crepitantem, ſed non ferientem: feriunt enim opuſcula iſta ſophiſtica argumenta, percutiunt certè falatias, vulnerant abſque ſonitu obſcuritates, & confuſiones. Breve eſt, fateor, huius libri corpuſculum, ſed inexpugnabile ſcutum veritatis, quòd licèt breve, ſumma arte perfectum eſt, ideò potius ***opus***, quam ***opuſculum*** nuncupari debet, nam ***opus*** pro ***labore*** vſurpavit Virgilius 8. Æneid. Cicero pro ***artificio***; meditemur ergo laborem, penſemus artificium, & iure optimo nuncupabitur opus maximum ſudore, ſolertia, & induſtria conſumatum, quòd propria appellatione ***Via Scientiarum*** vocatur; immo ſcientia ipſa, & clariſsima lux, quæ non vni privatim facultati ancillabitur, ſed indiſcriminatim omnibus miniſtrabit, ideoque omnium Sophorum iudicio comprobari debet, cuius luce falaciæ, quæ offundunt menti-

tibus tenebras, profternuntur: inimica veritatis fophifmata, quæ animum præmunt, & angunt, feliciter profligantur: caliginofa confufionis nox, quæ ratiocinijs, & difputationibus afficit, ruit, & protelatur. Verè via, non anceps hùc, vel illùc ducens, fed certa in fapientiæ centrum dirigens, & guvernans! Verè lux ad arcendas ab Scholis æquivocationum tenebras; non abs re via ad veritates in difputationibus limandas! Video iam certo Scholafticorum turbam hanc viam patentifsimam, hancque clarifsimam lucem ingeniofa impatientia profpectare, vt per ipfam, tamquam per viam, grefus dirigant mentis, & per ipfam, adinftar folis lucidam, omnes fortiantur lumen. Prodeat igitur hic induftriofus labor in lucem, & feliciter prodeat, quæ, vt auguror, profperos exitus confequetur, dignifsimumque æftiment omnes, vt in profpectum publicum producatur, quòd ignorantiam, fædifsimum rationalis naturæ vitium, retundit, atque in defideratum fapientiæ portum, formofifsimæ, præftantifsimæque virtutum, quæ rationalem exornant animum, faufte ducit, & fecurè prevehit; prodeat iterum, & feftinanter prodeat, ne fua tarda fegnitie tempus Authori differat famam, & omnibus fapientiæ viam congredientibus, tam notis, & cumulatis fructibus privet. Nec illa erunt tam ingrata genia, aut ingenia, quæ immortalitatis gloria non profequantur Viam Scientiarum, quæ fuæ lucis fplendore caliginofas falacias difsipat. Sic cenfeo, & fic iudico in noftro Spiritus Sancti Matritenfi Conventu Cleric. Regul. Min. die 14. Maij, ann. Domini 1686.

*Sebaftianus Velarde, Lector Iubilatus, Examinator Synodalis, & Sanctæ Inquifitionis Qualificator.*

## *FACVLTAS ORDINARII.*

NOs el Doctor Don Pedro Gregorio y Antillon, Canonigo de la Santa Iglesia Metropolitana de la Ciudad de Zaragoça, Inquisidor Ordinario, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido; por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir el libro intitulado: *Via Scientiarum. duobus opusculis absoluta*, compuesto por el Reverendissimo Padre Fr. Francisco de Santo Tomàs, Religioso, y Lector de Teologia de la Orden de Carmelitas Descalços, atento de nuestra orden, y comission ha sido visto, y reconocido, y no contiene cosas contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en Madrid à diez y seis dias del mes de Mayo de mil seiscientos y ochenta y seis años.

*Don Pedro Gregorio y Antillon.*

Por su mandado.

*Don Lucas de Cabañas, Notario Apostolico.*

*APPRO-*

## APPROBATIO R. P. M. FRANCISCI DE ARIAS, *Clericorum Regularium Minorum, Lectoris Iubilati, Archiepiscopatus Toletani Examinatoris Synodalis, ac Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, &c.*

DE mandato Regij ac Supremi Castellæ Senatus vidi, ac diligenter evolvi librum, cui titulus *Via Scientiarum*: à sapientissimo P. M. Fr. Francisco à Sancto Thoma, ex Religiosissima, ac Venerabili PP. Discalceatorum Carmelitarum Familia, acuratè elaboratum; & licèt opus hoc à me venerit iudicandum; tamen colendum evasit. Quid enim ex feracissimis visceribus clarissimæ Familiæ prodiret, nisi fecundissimi ingenij filius, qui lumine suo abstrusa perlustret, occlusa pandat, difficilia facilia reddat; & tandem viam sternat, qua ad arcem sapientiæ omnes feliciter ascendant: natalium splendor nobilissimos gignit spiritus, qui in Egregia erumpunt facinora; & quamvis piæ Matris incomparabilis modestia ferventi zelo, quo virtutis flagrat amore, & suos & filiorum radios vigilantissime celare conetur, tamen quo plus celat, eo plùs quamvis invita prodit:

*Quis enim celaberit ignem;*
*Lumine qui semper proditur ipse suo.*

Missit increata sapientia ancillas suas vt vocarent ad arcem. Noster autem sapientissimus Author vtpotè in culmine constitutus velut pennatus Mercurius penna sua iter securum ostendit, quo cœteri culmina scientiarum attingant. Arcebant olim in Paradiso viam ligni scientiæ Cherubin cum flammeo gladio; sed referatis iam, pretiosa Christi morte Paradisi Ianuis doctissimus Author plenitudine scientiæ, sed non in munere Cherub flammeo sui Parentis Eliæ gladio, qui est publicæ vtilitatis ardentissimus zelus, liberam omnibus pandit viam, qua scientiarum Paradisum ingredientes dulcissimos capiant sapientiæ fru-

ctus; & veritatis suavitate maximè delectentur. Nullus deinceps viam hanc ingredi metuat; nam licèt in via hac, qua ambulamus absconderint superbi laqueunt nobis, tamen ad conspectum huius fulgentissimæ lampadis omnes conteruntur laquei, offensionis lapides eliminantur. Liber enim hìc rectas facit semitas veritatis, quas effrenis ingeniorum licentia declives fecerat, & obliquas. Opus breve est, sed *certa semper in paucis*, in quo nihil reperi bonis moribus contrarium, aut Fidei regulis disonum; immo omnia ad veritatis trutinam appensa, & ad vtilitatem publicam non solum proficua, sed necessaria. Sic sentio: Salvo meliori, &c. Matriti in nostris Ædibus Spiritus Sancti die 30 mensis Maij, anno Domini 1686.

*Franciscus Arias,*
*Clericorum R. Minorum.*

EL

# EL REY.

POR Quanto por parte de vos Fray Francisco de Santo Tomàs, Religioso Carmelita Descalço, nos fue fecha relacion aviades compuesto vn libro, intitulado: ***Via Scientiarum duobus opusculis absoluta***, de que teniades licencia del Ordinario, y para poderlo imprimir nos suplicasteis fuessemos servido concederos licencia nuestra, y Privilegio por diez años, ò como la nuestra merced fuesse. Y visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la Pragmatica por Nos sobre ello fecha dispone, fue acordado que deviamos de mandar dar esta nuestra Cedula en la dicha razon, y Nos tuvimoslo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad para que por tiempo y espacio de diez años primeros siguientes, que corran, y se cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra Cedula en adelante, vos, ò la persona que para ello vuestro poder huviere, y no otra alguna, podais imprimir y vender el dicho libro que de suso se haze mencion; y por la presente damos licencia y facultad à qualquier Impressor de nuestros Reinos que nombraredes, para que durante el dicho tiempo le pueda imprimir por el original que en el nuestro Consejo se viò, que và rubricado y firmado al fin de Don Manuel Negrete y Angulo, nuestro Secretario de Camara, vno de los que en èl residen, con que antes y primero que se venda, le traygais ante ellos, juntamente con el original, para que se vea si la dicha impression està conforme â èl; ò traygais fee en publica forma como por Corrector por Nos nombrado se viò y corrigiò la dicha impression por el dicho original. Y mandamos al dicho Impressor que assi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego dèl, ni entregue mas de vn solo libro con el original al Autor, ò persona à cuya costa lo imprimiere, ni à otra alguna persona,

para

para efecto de la dicha correccion, y tassa, hasta que antes y primero el dicho libro estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo; y estando hecho, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho libro, principio, y primer pliego dèl, en el qual inmediatamente ponga esta nuestra Cedula, y Licencia, y la Aprobacion, Tassa, y Erratas: ni lo podais vender, ni vendais, vos, ni otra persona alguna, hasta que estè el dicho libro en la forma susodicha, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en la dicha Pragmatica, y leyes de nuestros Reynos, que sobre ello disponen. Y mandamos, que durante el dicho tiempo persona alguna sin vuestra licencia no le pueda imprimir, ni vender, pena que el que lo imprimiere, y vendiere aya perdido y pierda qualesquier libros, moldes, y aparejos que dèl tuviere, y mas incurra en pena de cincuenta mil maravedis por cada vez que lo contrario hiziere, de la qual dicha pena sea la tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Juez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el que lo denunciare. Y mandamos à los del nuestro Consejo, Presidentes, y Oidores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la nuestra Casa, Corte, y Chancillerias, y otras qualesquier Justicias de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los nuestros Reinos, y Señorios, y à cada vno de ellos en su jurisdicion, assi los que aora son, como à los que seràn de aqui adelante, que os guarden, y cumplan esta nuestra Cedula, y merced, que assi os hazemos, y contra ella no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la nuestra merced, y de diez mil maravedis para la nuestra Camara. Fecha en Buen-Retiro à nueve dias del mes de Junio de mil y seiscientos y ochenta y seis años. YO EL REY. Por mandado del Rey nuestro señor. Antonio de Zupide y Aponte.

FEB

## FEE DE ERRATAS.

PAgina 15. coluna 1. lin. 1. immitabilitate, *lee* immutabilitate. Pag. 18. col. 1. lin. 28. callidum, *lee* calidum. Pag. 45. col. 1. lin. 6. afsinum, *lee* afinum. Pag. 50. col. 1. lin. 13. tamens, *lee* tamen. Pag. 68. col. 2. lin. 11. expreſſat, *lee* expreſſant. Pag. 98. col. 1. lin. 26. extrinſecæ, *lee* extrinſecè. Pag. 105. col. 1. lin. 21. quin ſit materia prima, *lee* quin ſit tantum materia prima. Pag. 118. col. 1. lin. 27. videater, *lee* videatur. Pag. 175. col. 2. lin. 18. textum, *lee* textu. Pag. 190. col. 1. lin. 21. metaphiſicè, *lee* metaphiſicæ. Pag. 226. col. 1. lin. 6. quod &, *lee* quod eſt. Pag. 233. col. 2. lin. 5. obſervabimus, *lee* obſervavimus.

Eſte libro intitulado: ***Via Scientiarum***, eſcrito por el R.P. Fr. Franciſco de Santo Tomàs, Carmelita Deſcalço, advirtiendo eſtas erratas, eſtà conforme à ſu original. Madrid, y Septiembre à diez y nueve de mil ſeiſcientos y ochenta y ſeis.

***Don Martin de Aſcarça.***
Correɗtor general por ſu Mageſtad.

# TASSA.

YO Don Manuel Negrete y Angulo, Escrivano de Camara del Rey nuestro señor, de los que residen en su Consejo, certifico, que aviendose visto por los Señores dèl, vn libro intitulado: *Via Scientiarum duobus opusculis absoluta*, compuesto por el R. Padre Fr. Francisco de Santo Tomàs, Carmelita Descalço, le tassaron à seis maravedis cada pliego; y el dicho libro parece tiene treinta y quatro pliegos y medio, con principios, y Tablas, que al dicho respecto monta dozientos y siete maravedis, y al dicho precio, y no mas, mandaron se venda el dicho libro; y que esta certificacion se ponga al principio de cada vno. Y para que conste doy la presente, en Madrid à veinte y cinco de Septiembre de mil seiscientos y ochenta y seis años.

*Don Manuel Negrete y Angulo.*

IN-

# INDEX CAPITVM.

## EX OPVSC. I.



## EX OPVSCVLO II.



Cap.

# INDEX CAPITVM.



# FINIS.

PROOE-




# PROOEMIVM.



PLurimorum iuvenum fœlicia vidi, & miratus sum ingenia, quæ non nunquam infœlicia forsitan deploranda, vtpotè, quibus si abundanter regulæ adessent, optimaque scientiarum principia in exordio studiorum suorum, brevi multum tempore prodessent; illis verò deffi-cientibus, minimò fructu, maximoque labore, ad mediocrem comparandam scientiam plures consumunt annos. Ideò studiosè ferè omnia, tàm in communi, quàm in particulari, aggregavi principia, & regulas, quibus facilè, quascumque voluerint, in qualibet materia, queant efformare rationes, & argumenta, ad quodlibet suadendum, quæ quidem in primo opusculo continentur. In secundo autem invenies om-

nia genera, & ſpecies diſtinctionum cum ſuis explicationibus: & quibus principijs cognoſcetur, vnam potius, quàm aliam inter aliqua extrema inveniri; ſicut, & quam potius identitatem. Inſuper explicantur ferè omnes diſtinctiones, quibus inter arguendum, ſeu diſputandum in Scholis, voce, vel ſcriptis vtuntur Doctores,& Diſcipulis tradunt. Inſuper illarum termini, & iſtorum acceptiones elucidantur; quæ omnia, qui benè comparaverit, clavem ſcientiarum non dubitet, habere, & ab argumentis contrarijs faciſſimo negotio, ſe expediri poſſe, vt manifeſtè ex dicendis conſtabit.



VIÆ

# VIAE SCIENTIARVM
## OPVSCVLVM PRIMVM
## DE
## PRINCIPIJS, ET REGVLIS RECTE ARGVMENTANDI, IN QVALIBETQVE MATERIA RATIONES EFFORMANDI.

### CAPVT I.

*Quid in primis oporteat cognoscendum?*

1 IN Primis quidem oportet cognoscere, quid nomen significet, quia *cum non liceat res ipsas in disserendo afferre, nominibus vtimur loco rerum*, vt ait Aristot. 1. Elench. cap. 1. Quare quid nomen significet ignorato, nequit disputatio exordiũ sumere, aut scientiæ inquisitio initiari. Insuper requiritur cognoscere principia, vt aliquid valeat demonstrari, & scientia acquiri: ratio est, quia *scire, est rem per causam cognoscere, & illius causam esse*, vt docet Philos. 1. post lect. 4. apud D. Thom. litt. A. Causa autem sunt prima principia. Ergo, &c. Hæc autem principia sunt in duplici differentia. Alia sunt principia demonstrationis *propter quid*: Alia sunt principia demonstrationis *quia*: illa sunt prima principia simpliciter, quia simpliciter, & convertibiliter sunt causa conclusionis, tàm in essendo, quàm in cognoscendo, & ideò deffiniens Aristot. loco cit. apud D. Thomam, litt. I. demonstrationem propter quid, inquit, *est syllogismus procedens ex primis, veris, & immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis*. Quæ quidem principia sunt essentiæ rerum,

*Aristotel.*

*Aristot. S. Thom.*

*Aristot. S. Thom.*

quæ termino complexo ſignificatæ, ſunt eſſentiales deffinitiones, quarum notitia non accipitur per demonſtrationem à priori, quia non ſupponunt aliquid prius; ſiquidem eſſentia eſt primum quod invenitur in re; ſed acquiritur experiméto ſenſuũm circa ſingularia, ex eo quippè quod multoties experitur hunc hominem ratiocinari, & illum, & aliũ, & ſic de cæteris, ſiquidem experitur illos loqui, & operari, &c. iuxta rationem, & ex vno aliud inferendo, &c. per inductionem, venit intellectus ad vniverſale aliquod principium, videlicèt, ***omnis homo eſt rationalis.*** Quod eſt primum principium totale, & adæquatum ad ſcientiam adquirendam de homine, per quod omnes paſsiones illius demõſtrari poſſunt, licèt etiam aliàs in aliud vniverſalius principium inadæquatum reſolvatur. Vel entis naturalis, vel metaphyſici.

2 Alia autem principia deſerviunt ad demonſtrationem ***quia***: iſta quidem ſunt, vel effectus, vel proprietates, vel verè cauſæ, tamen non convertibiles cum eo quod demonſtratur. Quãdo eſt per effectus, vel proprietates dicitur demonſtratio ***à poſteriori***; quando verò per cauſam non convertibilem, licèt ſit ***à priori***; non tamen eſt ***propter quid***; vt noſtri Complutenſes docent in Log. diſp. 18. q. 3. *Noſtri Complut.* Iſta etiam principia experimento ſenſuum cognoſcuntur, & lumine intellectus. Deinde ſcire opportet artem ſyllogizandi, & inveniendi medium, de quibus Complut. & alij in ſumulis. *Complut. Alij.* Alia tandem principia ſunt, quæ licèt effectus, aut cauſæ non ſint; ad cognitionem probabilem magnopere deſerviunt, inſuperque non parum itineris ad demonſtrationem aperiunt, vt ſunt ſimilitudo oppoſitio, &c. de quibus etiam dicam.

CA-

## CAPVT II.

***De principiorum multitudine, quæ suscipimus explicanda.***

3 DEbet semper ad sciendum procedi per aliquid notius; alias non posset nobis aliquid ostẽdi. Est quidem aliquid notius alio, vel quoad se, vel quoad nos, *quoad se* enim, quod à sensibus elõgatur; & solo intellectu percipitur. Vt vniversale: *Quoad nos* verò singulare, vt docet Arist. 1. poster. lect.4. apud D. Thomam, litt. O. Advertit hic D. Thomas quod inter vniversalia est notius quoad nos quod est magis vniversale, eo quod est magis in potentia, & intellectus per prius cognoscit potentialius, vt ad id quod magis actuale est perveniat. Contingit autem quòd id, quod est magis notum quoad nos, sit etiã magis notum simpliciter, & secundùm naturam, sicut accidit in Mathematicis, in quibus propter abstractionem à materia non fiunt demonstrationes, nisi ex principijs formalibus, & in talibus fiunt demonstrationes ex his, quæ sunt notiora simpliciter. In naturalibus verò id quod est notius quoad nos, non est notius simpliciter, quia essentia, & virtutes eorum propter hoc quod in materia sunt, latent; & innotescunt nobis per ea, quæ exterius de ipsis apparent, vnde in talibus fiunt in plurimum demonstrationes per effectus, qui sunt notiores quoad nos, & non simpliciter. Hæc D. Thom. vbi supra eisdem ferè verbis. In præsenti autem de modo, quo intellectus ad omnia manu ducatur, generaliter tractabimus. Ad quod (relictis Raymundi Lulij confusionibus) loca quæ Arist. in lib. Topic. tradidit, magnopere deserviunt, quæ licèt vt docent nostri Complut. in fine Logicæ in notationibus ad libros Topic. apud ipsum sint 159. & apud Ro-

*Arist.* *S.Thom.* *Raym. Iul.* *Aristot.* *Complut.*

Rodolph. Rodolphũ Agricolam ad 24. reducta sint, communiter autem sequentes Petrum Nuñez ad 10. omnia revocant, nempè *à causis, ab effectibus, à subiectis, ab adiunctis, à dissentaneis, à comparatis, à nomine, à definitione, à divisione, & à testimonio.* Tamen horum locorum aliqua sub alijs continentur, vt locus *à subiectis*, sub loco *à causis*: siquidem subiectum est causa materialis. Ad eundem locum pertinet locus *ab adiunctis*, si accidentia sive propria, sive communia considerentur vt causæ, vel formales, vel effectivæ, vel materiales dispositivæ, &c. Si verò considerentur vt effectus in aliquo genere causæ, pertinet prædictus locus ad locum *ab effectibus*. Quarè non est necessum plura quam octo loca, seu genera argumentorum designare, & cum *disentanea*, idem quoad præsens sit, ac *opposita*: & *comparata*, idem ac *similia*, & ista nomina notiora sint, & magis vsitata, ideò loca, seu argumenta *à causis, ab effectibus, ab oppositis, à similibus, à nomine, à definitione, à divisione, & à testimonio*, per sequentia explicabimus capita.

Petrus Nuñez.

## CAPVT III.

*Explicatur locus, seu argumentum à causis.*

4 VT hoc argumentorum genus explicemus, scire oportet, quid & quotuplex sit principium. Igitur generaliter sumptum *est, à quo aliquid procedit.* Dividiturque in principium tantum, & in causam. Principium tantum est illud, *à quo aliquid habet esse sine reali dependentia*; & hoc dupliciter, vel per verum influxum, vt Pater Æternus est à quo Filius Æternus procedit: & Pater, & Filius, à quibus procedit Spiritus Sanctus, vel sine verò influxu, sed solum per meram dimanationem, vt essentia divina est principiũ à quo attributa divina dimanant. Causa autem in com-

communi prout abstrahit ab omni causa deffinitur à D. Thoma lib. 2. Physic. lect. 11. sic: *Causa est ad quam sequitur esse alterius*, cuius explicatio videatur in nostris Complut. lib. 2. Physic. disp. 8. q. 1. Causa dividitur communiter in quatuor genera causarũ, scilicèt materialem, formalem, efficientem, & finalem. Materialis est, *quæ se habet per modum materiæ respectu alicuius*. Hæc dividitur in materialem receptivam, & materialem dispositivam. Dispositiva est, *quæ disponit, seu determinat subiectum ad receptionem alicuius formæ*, sive disponat immediatè, vt lumen gloriȩ intellectum, vt recipiat vt *quo* visionem beatificam; sive disponat mediatè, vt calor materiam primam, vt recipiat formam ignis, & lumen gloriæ animam, & hominem, vt recipiat vt *quod* beatificam visionem. Causa materialis receptiva est, *quæ aliquid in se recipit*, vel extrinsicè vt paries visionem, vel intrinsicè, vt materia prima formam substantialem, & cópositum physicum quantitatem. Hæc causa materialis, seu subiectum, aliud est subiectum *denominationis tantum*, vt paries respectu visionis: aliud *receptionis tantum*, & non substentativũ, quòd alio nomine solet, dici subiectum *informationis*, vt materia prima respectu formȩ substantialis; Aliud est subiectum *inhæsionis*, vt substãtia respectu accidentium; nam solius accidentis est inhærere; non verò substantiæ, etiam si modus sit substãtialis. Et nota quod subiectum informationis, & inhæsionis, etiam est subiectum denominationis, & non ècontra. Ratio est, quia denominatur intrinsicè à forma intrinsicè recepta: Subiectum inhæsionis est etiam informationis, & non ècontra: quia subiectum informatur à forma accidentali, quam recipit: Forma autem substantialis non inhæret, & ideò subiectum illius, licèt dicatur subiectum

S. Thom. Complut. Com. Doct.

ctum informationis, non verò subiectum inhæsionis.

5 Subiectum insuper aliud est informe, aliud formatum. Informe est, ***quod in sui ratione non importat ea, quæ sunt propria formæ***, vt paries, qui est subiectum caloris; nam paries ex se non dicit calorem. Subiectum formatum est, ***quod etiam importat ea, quæ sunt propria formæ***, vt calidum, quod est subiectum caloris, quia in eo est calor per modum formæ; & tamen calidum importat etiam ipsum calorem, sic *Complut.* Complut. lib. 1. de anima, disp. 2. num. 15. & 16. ex *S.Thom.* D.Thoma 1. part. quæst. 76. art. 4. ad primum.

6 Item subiectum diuiditur in subiectum ***quo***, & subiectum ***quod***. Subiectum ***quo, est id quo aliquid recipit vt quod***, & est duplex aliud remotum, & radicale, seu ratio recipiendi mediatè, & radicaliter, & est ***id quo subiectũ*** quod ***habet exigentiam ad recipiendam formam***, vt materia prima in cõposito physico respectu formæ accidentalis; nam ista non recipitur immediatè in materia prima nudè sumpta, & media materia in composito, vt constat ex nostris Complutensis lib. 1. de generat. disp. 2. quæst. 6. *Complut.* Sed materia solùm est, vt dixi, id quo compositum habet exigentiam ad recipiendum accidens, vel immediatè vt quantitatem, vel mediatè vt reliqua accidentia corporea, quæ quidem media quantitate recipiuntur in illo. Aliud est subiectum ***quo*** immediatum, seu ratio immediata recipiendi, vt quantitas, in qua immediatè recipiuntur accidentia corporea, & non tanquam in subiecto ***quod***, etiam si quantitas sit diuinitus separata à subiecto, & recipiat aliqua accidentia in se, vt de quantitate Eucharistica fides docet, quia adhuc tunc subiectũ ***quod*** est illud, quod erat proprium subiectũ ***quod*** illius quantitatis (licet actualiter accidentia non substentet, quia desinit esse ibi,

ibi, per conversionem sui in Corpus Christi Domini ablata divinitus actuali inhærentia ad proprium subiectum *quod*; non tamen aptitudinale respicientia ad illud, quæ est de eorum essentia) quia illius est proprium recipere vt *quod*, cuius proprium est habere esse vt *quod*: sed quantitas in tali casu non habet esse vt *quod* adhuc divinitus: ergo. Minor probatur, quia sola substantia habet esse vt *quod*: sed quantitas in illo casu, adhuc divinitus, non est substantia: ergo adhuc divinitus non habet esse vt *quod*. Hoc etiam potest videri apud nostros Complutenses in Resumpta lib. 2. de generatione, disp. 15. quæst. 6. num. 71. Tum absolutè. Tùm à paritate principij operativi in accidentibus Eucharisticis operativis, quæ nullo modo operantur vt *quod*; sed virtute proprij subiecti operativi; seù suppositi. Idem videre licèt in intellectu respectu sciētiarum, & in voluntate respectu habituum; qui ad illam pertinent. *Subiectum* quod *est, quod in se recipit formam, & illud non recipitur in alio*, & hoc est duplex: aliud est subiectum *quod* simpliciter, scilicèt illud, *quod simpliciter habet esse vt quod*, vt Petrus respectu albedinis, vel quantitatis, &c. Aliud est secundum quid tale, scilicèt, *quòd non habet esse simpliciter; sed solùm secundùm quid*, vt materia prima respectu formæ substantialis, & vnionis, & generationis substantialis in esse mutationis: quæ in tantum dicitur subiectum *quod* in quantum ipsa sola recipit prædictas formas, quę in nullo alio subiecto recipiuntur præter illam. In quo etiam sensu, quantitas in Eucharistia posset dici subiectum *quod*.

Complut.

7 Causa formalis est, *quæ se habet respectu alicuius per modum actus*. Hæc alia est extrinseca, vt visio respectu parietis, idea, seù exemplar respectu ideati; & obiectum respectu potentię, vel habitus, alia est enim

enim intrinseca, ***quæ scilicèt intrinsicè tribuit suum esse subiecto.*** Quæ est duplex, vel informans tantum, vt si fuerit substantia, v.g. anima rationalis: vel inhærens, vt forma accidentalis. Differétia essentialis est forma intrinseca, vel logica; vel vt alij loquuntur, metaphysica, tamen non est dicenda forma inhærens respectu rei, quam constituit; etiamsi sit differentia alicuius accidentis, v.g. quantitatis continuæ, quia est de substantia illius, & non convenit illi accidentaliter, sed essentialiter.

*Aliqui.*

8 Causa efficiens est, ***id à quo primo incipit motus in executione.*** Multiplicemque habet divisionem; sed nullam referam; siquidem videri possunt apud nostros Complutenses lib. 2. Physic. disp. 10. quæst. 1. sed plura vide cap. 6. hîc.

*Complut.*

9 Causa denique finalis, ***est propter quod aliquid fit, vel cuius gratia aliquid fit.*** Vel etiam potest deffiniri sic: ***A quo primo incipit motus in intentione.*** Vt autem quotuplex sit, scias, consule Complut. vbi sup. disp. 14. quæst. 1. & infra plura dicam cap. 7. Quibus adde finem, alium esse talem respectu operis; aliú respectu operantis. Finis operis est, ad quem ex natura sua illa operatio tendit, vt actus misericordiæ ad sublevandam miseriam. Finis operantis, ad quem operans propria intentione suam operationem dirigit, vt faciens opus misericordiæ propter vanamgloriam habet pro fine ipsam vanamgloriam. His suppositis, dicamus iam circa opusculi intentum.

10 Dico igitur aliquid posse demonstrari *à priori*, sive per principium, sive per causam: per principium quidem, seu rationem *à priori*. Sicut demonstrantur attributa Dei per essentiam, & naturam ipsius, & hoc pacto Deus habet scientiam de suis attributis, vt dicit communis Theolog. sententia, nam licèt natura divina non sit causa formaliter, & strictè respectu attributorum,

*Comm. Theol.*

rum,

rum, sed principium (vt diximus) tamen huiusmodi principium est causa virtualis, quod sufficit ad rigorosam,& strictã scientiam; siquidem verificatur esse rem per causam cognoscere. Per causam etiã, sicut Deus habet sciẽtiam de omnibus possibilibus per suam naturam, & de futuris per essentiam determinatam per divina decreta, quæ sunt illorum causa.

11 Potest enim aliquid demonstrari per quãlibet ex causarum generibus suprà explicatis, vt docent Arist.& D.Thom. lib.2. poster. lect.9. quod manifestatur: tùm ratione, quia per quamcumque procedatur ad cognoscendum, proceditur per causam; sed nihil aliud desideratur ad demonstrationem, & scientiam; ergò. Tùm exemplis, in primis per causam materialem proponit hoc exemplum S.Thom. loco citat. *Omne compositum ex contrarijs est corruptibile; sed omnis lapis est compositum ex cõtrarijs: ergò, &c.* Sunt ergo humores contrarij, quasi materia compositi, & qualitates humorum compositi sunt dispositiones illius, id est causa materialis dispositiva, quia determinant materiam ad connaturalem formæ receptionem, deserviuntque redacti ad quamdam mediocritatem (quam propter actionem, & reactionem vnius in alium nequeunt conservari) ad cõservationem illius. Exemplum de causa formali sic se habet: *Omne compositum constitutũ per animam rationalem est homo; sed Petrus est compositum constitutum per animam rationalem; ergò.* Est enim anima rationalis vera, & realis causa formalis hominis. Si autem demonstratio fiat per differẽtiam metaphysicam, quæ est pars secundum quid,& secundum rationem, v.g. *Omne rationale est homo; sed Petrus est rationalis; ergo.* Erit demonstratio secundũ quid, quia non est verè causa; sed secundum quid,&ideò

Arist. S.Thom.

in

Arist. S. Thom. in hoc sensu docuit Arist. lib. 2. post. lect. 5. apud D. Thom. litt. E. Et ipse D. Thom. essentiam nō posse demonstrari per aliquid pertinens ad ipsam essentiam. Exemplum de causa efficienti est: *Omnis operatio procedens ab intellectu est realiter intellectio; sed omnis operatio attingens intelligibile, vt tale procedit ab intellectu; ergò.* Exemplum de causa finali: *Omne opus factum propter Deum est bonum; sed omnis actus elicitus imperio charitatis, est propter Deum, ergò.* Si negetur principiū assumptum poterit probari, vel per causam illius in aliquo genere causæ, si adest, vel per effectum; vitetur tamen circulus in eodem argumento, vt quando probat A. per B. & postea vt probet propositionem negatam probat B. per A. aut ècontra, sed probet per alios effectus, vel causas.

12 Opportet hìc pro omnibus causis advertere, quòd sicut in effectu dantur plures gradus causabiles, ita ex parte causæ debent dari plures gradus causativi, vel capacitates ad illos causandos quælibet in suo genere, v.g. sit effectus forma equi, hæc est enim substantialis, corporea, generabilis, mixta, vitalis, animalis, & equina: quare causa efficiens debet habere virtutem ad producēdam illam secundum hos gradus, & sic ratio principalis agēdi ęquivocè debet cōtinere eminenter formaliter, vel virtualiter prædictos gradus. Ratio producendi vnivocè debet continere illos solùm formaliter. Ratio producendi illos instrumentaliter, debet continere illos defficienter, & virtute alterius. Actio productiva debet continere illos virtualiter per modum actualis tendentiæ, & viæ; si verò causa aliquos non cōtinet, illos non producit, vt Sol vitalitatem equi: & intellectus maiorem actualitatem inventam in intellectione, de quo videatur infra cap. 6. à num. 41. vsque

que ad 58. Similiter causa finalis debet habere virtutem ad finalizandum gradum substantiæ corporis generabilis, &c. Causa materialis debet habere capacitatem ad recipiendam formam secundum gradus prædictos substantiæ corporis, generabilis, &c. Et ipsamet forma prædictos gradus debet materiæ cõmunicare. Et quod diximus de instrumentis, & actione causæ efficientis proportionabiliter dicendum est de instrumentis, medijs, & causalitatibus cœterarum causarum.

## CAPVT IV.

### *De his, quæ per causam materialem demonstrari queunt.*

13 Licèt per prædictas causas demonstrari possint omnia illa, quorum causæ sunt, vt supra diximus: Tamen quia non omnes possunt regulas valdè generales particularibus applicare rebus, opus est, vt qui Tyrones instruimus, generales regulas particularibus rebus tradamus applicatas, cum hìc non infimus sit docendi modus: prolixum enim erit, si omnibus, immo impossibile; vtilè verò si rebus, circa quas communiter instruuntur, applicentur. Quod claritatis gratia per aliquot fiet capita, hocque causa materialis consumet.

Ex causa igitur materiali, id est subiecto demonstrari potest forma, quam potest recipere, siue substantialis, siue accidentalis secundum diuersam subiecti capacitatem ad recipiendum: ex capacitate naturali forma naturalis; ex supernaturali, aut obedientiali ad Auctorem supernaturalem, supernaturalis; ex obedientiali, vt cumque forma, vt cumque quam potest inducere agens, cui subijcitur, secundum proportionem requisitam inter actum, & potentiam, quæ debet esse eiusdem ordinis, non tamen eiusdem perfectionis, quia actus est perfectior, quam

quam potentia, requiritur enim subiectum recipere posse omnem perfectionẽ, quam potest forma communicare secundum illam rationem, secũdum quam se habet vt forma. Forma intrinseca causat communicando totam suam entitatem, & ideò communicat omnem formalitatem, quam habet, saltèm entitativè, idque licèt non communicet denominativè, eo quod subiectum sit incapax denominationis provenientis à tali forma, vt à simili, si divina persona assumeret equi naturam, licèt equus ille denominaretur suppositum, nõ tamen persona, & tamen personalitas erat illi communicata. Extrinseca verò forma tribuit suum effectum secundum aliquam formalitatem, & non secundum aliam. Vt visio denominat parietem visum, non verò vitalem. Vniversaliter verò loquẽdo, sicut per formam demonstratur subiectum, ita per subiectum demonstratur forma; siquidem in proprijs generibus causarum se mutuo correspondent, & ideò videatur sequens caput de modo demonstrandi per causam formalem, nè hic plura præveniamus ad illud caput necessario pertinẽtia.

14 Insuper per subiectum demõstratur corruptibilitas, vel incorruptibilitas rei, quia hæc procedit ex mutabilitate, aut immutabilitate subiecti; & ideò Deus est omninò incorruptibilis, quia est omninò immutabilis, tàm quoad substantiam, quàm quoad accidẽtia. Angelus est incorruptibilis quoad substantiam, & corruptibilis quoad accidẽtia; quia est immutabilis quoad substantiã, & mutabilis quoad accidentia. Equus verò est corruptibilis, tàm quoad substantiam, quam quoad accidentia, quia est mutabilis quoad vtrumque. Ex qua etiam subiecti immutabilitate demõstratur duratio rei, vel æterna, vel æviterna, vel temporalis. Nam eo modo aliquid durat, quo non corrumpitur; ergo

ergo ſicut ex immitabilitate demonſtratur incorruptibilitas, ita rei duratio. Et eo modo quo aliquid corrumpitur, deſinit eſſe; ergo ſicut ex mutabilitate arguitur corruptio, ita & non duratio, ſeù deſitio. Quarè quod ſucceſſivè mutatur, ſucceſsivè deſinit, & ſic durat per partes, id eſt per durationem habentem partes.

15 Item ex cauſa materiali arguitur individuatio, ſeu vnitas numerica rei, quia vnitas numerica eſt vnitas materialis, ſed vnitas materialis ſumitur à materia, ſeu ſubiecto; ſicut vnitas formalis à forma: ergo ex vnitate ſubiecti ſumitur vnitas numerica rei, quæ eſt in ſubiecto, vel conſtituitur ex illo, & ex forma. Quapropter repugnat non ſolum naturaliter; verum adhuc de potentia abſoluta, quòd in eodem ſubiecto poſsit eſſe duplex forma eiuſdem ſpeciei (ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis) vt docent Ariſtot. S. Thomas, & eius diſcipuli, vt teſtantur noſtri Salmat. tom. I. tract. I. diſput. 2. dub. 3. & noſtri Complut. tom. 2. diſp. 4. quæſt. 5. & tom. 3. in Reſumpta diſp. 14. ſed intelligendum eſt, in eodem ſubiecto formali, id eſt, vt ſub eſt eidem ſubiecto formali *quo*, & ſecúdum eandem partem, quia hoc modo eſt proprium individuationis principium: quare in eodem ſubiecto materiali poſſunt plura accidentia recipi, ſi in illo ſint diverſa ſubiecta *quibus*; hoc eſt, diverſæ rationes recipiendi: vt plura tempora poſſunt recipi in eodem ſubiecto materiali, licèt ſolo numero diverſa, ſi in illo ſint diverſi ſpecie motus, v.g. augmẽtationis, lationis, & alterationis. Et plures colores eiuſdem ſpeciei, v.g. albedinis in eodem ſubiecto *quod* ſecundum diverſas partes, ſi colores non continuantur, vt in homine vna albedo in facie, & alia in pede interpoſito colore altero. Videatur in noſtris Complutenſ. lib. 4. Phy-

*Ariſtot.* *S. Thom.* *Thomiſtæ. Salmant. Complut.* *Complut.*

Physic. disp. 21. quæst.2. num.29. in Resumpta.

16 Arguitur etiam ex causa materiali contrarietas formarum; quia contraria versantur circa idẽ subiectum, à quo mutuò se expellunt. Vndè rectè arguitur aliqua esse contraria, quando reciprocè excluduntur ab eodem subiecto, quòd simul illa habere non valet, vt forma, & eius privatio; & èconttra: & calor, & frigus, aut èconttrà: quæ non compatiuntur simul in eodem subiecto, saltem in gradibus intensis, sed dum calor intenditur, frigus remititur; aut èconttrà. Dixi *quando reciprocè excluduntur ab eodem subiecto*: Nam licèt forma substantialis præexistens excludatur ad adventum alterius denuo genitæ; non tamèn est reciprocè, sed per quamlibet formam quælibet expellitur, quòd tantùm arguit incompossibilitatem; non tamèn cõtrarietatem, neque rigorosam, vt inter calorem, & frigus: neque non rigorosam, vt est oppositio privativa, sicut inter visum, & cœcitatem. In hoc enim num.16. sumimus cõtrarietatem pro vera oppositione, de qua infra cap.10.

## CAPVT V.

*De his, quæ per causam formalem demonstrantur, & quomodo, siue intrinseca, siue extrinseca sit.*

17 QVid est quotuplex sit causa formalis suprà cap.3. num.7. retulimus: Ex hac enim generaliter sumpta demonstratur natura subiecti generaliter sumpti. Ex forma naturali infertur subiectũ esse naturale; ex forma supernaturali, subiectum esse supernaturale, quòd potest contingere tripliciter, sicut tripliciter potest accipi forma supernaturalis quoad præsens. Alia est increata vt attributũ misericordiæ Dei, respectu ipsius Dei, & idem est de alijs attributis, ex qua forma

ma arguitur ſubiectum increatum vt Deus; ſed quia iſta forma non eſt ſimpliciter forma, nec cauſa; ideò nec Deus dicitur ſimpliciter ſubiectum, aut effectus illius; ſed tantum per quamdam analogiam ad creaturas, & quoad noſtrum modum concipiendi. Alia forma ſupernaturalis eſt creata, & ſuperioris rationis in hoc ordine, vt viſio Dei, gratia habitualis, &c. Ex hac forma arguitur ſubiectū formaliter ſupernaturale, hoc eſt, ſupernaturalizatum, ſeu elevatū per aliquam formam ſupernaturalem magis in hoc ordine inferiorem, & ſic viſio beata petit, vt anima, & intellectus elevetur quodam habitu ſupernaturali, qui appellatur lumen gloriæ, vt poſsint ipſam recipere. Et gratia habitualis recipitur in anima, vt diſpoſita, & elevata per virtutes ſupernaturales, quæ ſunt quaſi paſsiones gratiæ. Alia forma ſupernaturalis creata datur, quæ eſt minoris perfectionis in prædicto ordine ſupernaturali, & petit ſubiectum aliquo modo tantùm ſupernaturale, hoc eſt ſubiectū naturale ſecundùm potentiam obediētialem ad Auctorem ſupernaturalem, vt fides, & ſpes ſupernaturales, quæ manent in peccatore carente gratia habituali, & cæteris virtutibus ſupernaturalibus; nam ſi nulla daretur forma ſupernaturalis, quæ poſſet recipi in ſubiecto, niſi diſpoſito aliqua forma ſupernaturali, à fortiori daretur proceſſus in infinitum, qui ſemper eſt omninò vitandus.

18 Ex forma phyſica arguitur ſubiectum phyſicum, & ex metaphiſica, ſeu logica, ſubiectum eodem modo logicum, ſeu metaphyſicum: ex forma ſubſtātiali ſubiectum ſubſtantiale; ex accidentali accidentale: quod non dicitur accidentale, quia accidens eſt; nam ſubiectum proprium accidentium eſt ſubſtantia, ſed quia non ordinatur ad compoſitum ſubſtantiale illud conſtituen-

tuendo ex vi huius receptionis, sed accidentale, id est, ex subiecto, & forma accidentali, vt album, iustum, &c. Et ratio omnium est, ***quia tot modis dicitur potentia, quot dicitur actus, &ècontrà***, vt fatur commune Axioma. *Axioma.*

19 Item ex forma arguitur natura compositi. Ex forma phisica phisicum: ex metahisica metaphisicum: ex logica logicum: ex substantiali substantiale: ex accidentali accidentale: quia quodlibet compositum constituitur secundum naturam proprij constitutivi: sed proprium constitutivum est forma; ergo, &c. Ex quo etiam oritur, quòd si forma est corruptibilis, vt forma equi, & calor, compositum sit corruptibile, vt equus, & callidum: si non sit corruptibilis tamen amisibiliter informet, vt anima rationalis, etiam compositum erit corruptibile, vt homo, ratio est: quia compositi corruptio non oritur solum ex eo; quod partes corrumpantur, vel aliqua ex illis, sed propriè ex eo, quòd partes separentur; nam separatis partibus nō manet totum. Item ex forma existenti, vel ex illud informante arguitur naturaliter loquendo esse in tali composito, vel in subiecto ratione formæ passiones, & accidentia ab illa dimanantia, vel naturaliter comitantia, quia nisi divinitus nequeunt prædicta accidentia omninò separari, si illis, scilicèt indiget forma, aut compositum ad sui conservationem, vel cum illis saltem necessariam habeat connexionem: quia ab illa necessariò, & naturaliter fluunt.

20 Ex forma extrinseca, quæ se habet vt specificativum extrinsecum, hoc est, vt id ex quo, seu in ordine ad quod sumitur specificatio alicuius, arguitur essentia illius. Ex idea ideatum: ex tali idea tale ideatum: ex obiecto arguitur essentia potentiæ, vel habitus, & ex tali ob-

obiecto talis potentia, vel habitus; ita quidem quod ex obiecto, vt *sic* arguatur potentia *vt sic*, & ex tali obiecto talis potentia: Nam ***tot modis dicitur obiectum potentiæ, ac dicitur potentia.*** Et idem de obiectis habituum respectu ipsorum habituum: & de terminis respectu illorum, quæ ad terminum ordinãtur, dicendum est. Ratioque huius est manifesta: quia nequit dari potentia, aut habitus, &c. absque suo specificativo. Vndè tot gradus genericos superiores, intermedios, & infimos, quos in potentia, aut habitu, & sic de cæteris respectivis, cognoscimus inveniri, debemus in illorum obiectis, aut terminis considerare, & distinguere. Itavt gradui generico potentiæ in qualibet potentia correspondeat ex parte obiecti gradus genericus obiecti respicibilis à potentia. Et gradui generico magis inferiori potentię correspõdeat gradus genericus magis inferior ex parte obiecti respicibilis à potentia. Et gradui specifico potentię correspondeat gradus specificus obiecti respicibilis à potentia. Et sicut in vnica potentia possumus hos omnes istos gradus invenire, & inveniuntur, ita similiter inveniendi sunt in vnico obiecto. Nam sicut potentia adæquatè sumpta specificatur adæquatè à suo obiecto adæquato, ita vnus gradus potentiæ ab vno gradu obiecti: gradus genericus potentiæ à gradu generico obiecti: & gradus specificus potentiæ à gradu specifico obiecti. Et idem de gradibus intermedijs cum proportione dicta intelligatur.

*Axioma.*

21 Sed quia de huiusmodi specificativis frequentissimum est agere, resque est obscura, itavt circa rerum essentias multa sint placita. Et plures sæpè disputando in inconsequentijs inculcantur; sicut etiam in æquivoco non semel ex notitiarum deffectu, laborant, ideò

quamvis materia latissima sit, quanta potuero brevitate, & claritate, selectiora principia, & modos discurrendi proponã, vt à simili quisque iuxta doctrinas diversas (nam omnibus laboramus) suas fundet in hac parte opiniones.

22 Sit igitur primum principium; quod quamvis res vnica sit in specie infima in esse entis; potest tamen esse multiplex in esse obiecti, & plures potentiarũ distinctarum operationes, respectusque specie diversos specificare, & terminare. Nec mirandũ, quòd ita esse possit. Est enim aperta ratio: quia esse entis est radix, & fundamentum esse obiectivi: sed stat benè quod radix, & fundamentum sit vnum, & quod plura in illo radicẽtur, & fundentur: vt patet in qualibet substantia, quę est radix, & fundamentum multorũ accidentium. Et radix vnius arboris plures radicat ramos, folia, fructus: ergo, &c. Secundo probatur experientia, nam eadem albedo, v.g. de facto terminat actiones diversarum essentialiter potentiarum, secundum diversam rationem. Siquidem vt producibilis terminat actionem potentiæ productivæ illius. Vt visibilis terminat actionem potentiæ visivæ. Vt sensibiliter dicernibilis ab alijs obiectis sensuum externorum, terminat operationem sensus communis, quæ est potentia sensibilis interna. Vt imaginabilis, terminat operationem imaginativæ, seu phantasiæ. Vt sensibiliter aprehensa vt conveniens, vel disconveniens naturę, terminat operationẽ æstimativæ. Vt sensibiliter appetibilis terminat operationem. potentiæ appetitivæ sensibilis. Vt cognoscibilis per intellectũ, terminat operationem illius. Vt appetibilis per voluntatem terminat operationem voluntatis. Et sic discurrendum est de alijs. Immo vnica individua natura, seu vnicum individuum ratione solius na-

turæ

turæ potest adæquatè terminare formaliter diversos specie habitus creatos, vt Deus charitatem, fidem, spem, & alios, si qui sunt, qui ad solum Deum per se primo adæquatè terminentur. Sed maximè notādum est, quòd quamvis vtimur terminis significantibus subiectum, vt habens capacitatem, vt ab aliquo attingatur, scilicèt, *producibilis, visibilis, imaginabilis, appetibilis, &c.* non est quia velimus rationem subiecti, aut materiæ significare; hoc namque evenit ob penuriam nominum, vt in alijs rebus similem defectum vitare non possumus. Ratio est, quia cum obiectum, vt diximus, habeat rationem specificativi, & specificatio sumatur non à materia, seu subiecto; sed à forma, iuxta commune illud proloquium: *Genus sumitur à materia, & differentia à forma*; id est, genus quia significatur per modum potentiæ, sumitur, & radicatur in subiecto, quòd habet rationem potētiæ respectu formæ, aut ad similitudinem subiecti formatur: & cum materia prima sit primum subiectum, & prima potentialitas, ideò dicitur, quòd *genus sumitur à materia*. Et quia forma substātialis est primus actus, & omnia quæ habent rationem differentiæ, habeant rationem actus, ideò dicitur proportionabiliter, *& differentia à forma*. Quod desumptum est ex Aristot. 7. Metaph. text. 33. & ex D. Thom. ibi. & 8. Metaph. text. 9. vbi D. Thom. lect. 3. & alibi. Sed illis nominibus significamus quamdam rationem formalem, qua terminat, & determinat illas habitudines, seu respectus, illosque extrinsecè actuat.

*Axioma.* *Aristot.* *S. Thom.*

23 Secundum principium est, quòd etiam potest cōtingere, plura entia valdè diversa in esse entis, scilicèt, tàm specificè, quā genericè; immo diversorum prædicamētorum, ita in esse obiecti posse adunari, vt conveniant in aliqua specie infima obiecti in

in esse obiecti. Ratio est, nam res non constituuntur formaliter in esse obiecti per entitates suas naturales; siquidem hoc se habet de materiali, & substracto ad rationem formalem obiecti; sed constituuntur per posse terminare potentiam (& idem dicendum est respectu habituum, & aliorum respectivorum) sed plura diversæ speciei, immo diversi generis, aut diversorum prædicamẽtorum possunt convenire in hoc quod est posse terminare habitudinem, v. g. vnius potentiæ in specie infima: ergo quamvis in esse entis differant specificè, aut genericè, vel prædicamentaliter, possunt in esse obiecti in specie infima convenire. Minor probatur. Nam omnia prædicamenta, immo omnia entia, tàm creata, quàm increata, vt Deus conveniunt in hoc quod possunt terminare potentiam intellectivam hominis, quæ est vna in specie infima, vt per se patet. Quod à posteriori evidenter cognoscimus ex eo, quòd ab hac intellectiva potẽtia possunt cognosci: ergo, &c. Vndè communiter diffinitur obiectum vt sit, *quòd potentiæ, vel habitui obijcitur attingendum*. Idem dicendum est de obiecto volũtatis; nam voluntas omnia ista potest diligere. Similiter omnia entia naturalia, vt motui subduntur conveniunt in hoc quod est esse obiectum Philosophiæ, quæ est scientia infima. Et idem dicendum est de obiectis aliarum potentiarum, aut habituũ. Cum hac tamen differentia, quòd sicut potentia ad plura se extendit, quàm quilibet habitus talis potentiæ; sic ex parte obiecti correspõdet potentię ratio obiectiva magis vniversalis quam habitui. Nam cum habitus potentiæ non possint se extendere, nisi ad obiectum talis potentiæ: siquidem vt illud potentia faciliter attingat; tribuuntur, seu instituuntur à natura, ideò inter se partiuntur obiectum potentiæ

Vel materiale, sumendo sibi quilibet partem illius considerandam, vel attingendam: vt quia omne ens est obiectum intellectus; habitus Philosophiæ sumit sibi ens mobile; Logica ens rationis; Arithmetica quantitatem discretam; Geometria quantitatem continuam, &c. Vel si attingit omne obiectum, vt metaphisica omne ens, hoc facit secundum rationem magis particularem; vt ratio *sub qua*. Hæc ratio obiectiva solet appellari ratio *sub qua*, sicut quæ se habet de materiali; tamen vt sub est rationi formali, dicitur ratio *quæ*: & obiectum ex vtraque ratione coalescens dicitur obiectum *quod*. Et quælibet ratio ex duabus iam dictis *sub qua, & quæ* dicitur *obiectum quo*, ista materialis; & illa formalis. Tamen si obiectum materiale consideretur, vt non dicit subijci rationi formali *sub qua*, dicitur *obiectum materiale materialiter sumptum*; si verò considerotur vt formali sub est, appellatur *obiectum materiale formaliter tale*. Quod etiam de terminis non habentibus rationem obiecti, tamen terminantibus alios respectus, dicendũ est proportionabiliter. Denique aliud est obiectũ primarium, aliud secundariũ. *Primarium est, quòd per se primo terminat ex primaria, & absoluta intentione naturæ*. Vel *quod potentia per se primo intendit attingere*. Secũdarium est, *quòd terminat, vel respicitur ratione primarij*, iam explicati. Sed quia obiectum secundarium non specificat, ideò de illo omittimus tractare; sicut etiam de alijs obiecti divisionibus. Advertendum tamen est, quòd quamvis obiectum, aut terminus dicatur specificativum, non est quia intret formaliter in essentia prædictorum respectivorum; nam hæc in se ipsis habent suam essentiam, sed quia talis est illa essentia, vt absque ordine ad tale obiectum, aut terminum, nec esse, nec intelligi posset. Et ideò dici-

citur obiectum, aut terminus, non intrinsecum; sed extrinsecum specificativũ. Vide attentè opusc. 2. à num. 71. vsque ad 80.

24 Tertium principium est, huiusmodi respectiva esse in duplici differentia. Alia dicuntur respectiva transcendentalia; alia respectiva prædicamentalia. Illa sunt simpliciter absoluta, & non solum in accidentibus; sed etiam in genere substantię inveniuntur; sed cum hac differentia, quòd quæ sunt de prædicamẽtis accidentium non habent suum complemẽtum in proprio prædicamento; sed ab alio desumunt, seu in ordine ad illud, scilicèt, ad substantiam. Et ideò dicuntur *entis*, id est *substantia, entia*: vt infra dicemus. Tamen substantia intra suum prædicamentum habet totum suum complementum essentiale: quapropter omnia respectiva transcendentalia substantiali a intra suum genus substãtię habent essentialem, & substãtialem terminationem, & specificativum: vt materia prima à forma substãtialia: essentia ab existentia substantiali, &c. Ratio est, quia *substantia dicitur, quæ per se stat*. Vel *est cui debetur esse per se*. Vel *cuius actus est esse simpliciter*. Vt passim apud D. Thom. vide opusc. 42. cap. 10. & in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. q. 1. Vndè sequitur, substantiam esse fundamẽtum totius esse naturalis. Et licèt natura substãtialis diffiniatur per ordinem ad motum, vt deffinit Arist. lib. 2. Physic. propriè tamen loquendo non deffinitur per motum; sed per esse radicem illius, quòd quidem est proprium substantiæ, vt per se patet, & explicant nostri Complut. in Resumpta disp. 7. Phys. quæst. 1. Sicut quamvis dicitur, *quòd esse est propter operari*; non ideò substantia, cui simpliciter convenit habere esse, debet ad operationem, tanquam ad finem ordinari; hoc enim solum intelligitur de substantia, vt reduplicativè habente suas potentias, &

*S. Thom.*

*Aristot.*

*Complut.*

*Axioma.*

Thomistæ. ratione illarum, vt explicant communiter Thomistæ. Esset enim de ordinatio maxima, vt infra dicemus cap. 7. num. 64. siquidem substantia est perfectior operatione, quæ est accidens: ergo nequit substantia esse propter illam; aliàs quod est perfectius ordinaretur naturaliter ad id, quòd imperfectius est: quòd implicat, vt ibidem dicetur. Opus autem est notare, quòd quamvis potentia, & habitus specificentur à suis actibus, eo, quòd propter illos sunt, tamen actus denique ordinantur per se primo ad obiecta, ideò absolutè dicendum est, potentias, aut habitus ab obiectis sumere speciem. Ita quidem, vt actus, aut operationes specificent per modum medij, quo potentiæ, & habitus tendunt ad obiecta, à quibus vltimatè, seu vt sic dicamus, irresolubiliter specificationem sortiuntur.

Differunt respectiva transcendentalia à prædicamentalibus in multis. Primò, quia transcendentalia nō supponunt necessario aliquid absolutum, eo, quòd ipsa sunt quid absolutum; secus verò prædicamentalia, propter oppositam rationem. Secundò, quia transcendentalia sunt per se intenta à natura, nisi fuerit quidam modus, aut imperfecta pars; secus prędicamentalia, & ideò vera, & realis relatio prædicamētalis non potest produci per se; sed ad productionem alterius resultat, si adsint conditiones necessariæ statim explicandæ, quapropter dixit Aristot. 5. physic. *ad relationem non dari per se motum.* Aristot. Tertiò, relationem prędicamentalem exigere terminū realiter existentem; quem non exigit transcendentalis, & ideò scientia, v.g. potest tendere in obiectum posibile, aut futurum, aut prętęritum, aut etiam in entia rationis; secus verò prædicamentalis si fuerit realis. Quartò, & præcipuè, quia transcendentalia nō respiciunt terminum, vt purè terminum, id est, non expressan-

do alia munera; sed respiciunt illum, vel vt subiectum, aut obiectum, aut finem, aut efficientem, aut effectum, aut partem, &c. secus verò prædicamentalia, quæ solum respiciunt terminum, vt præcisè, & purè terminum, vt explicat munus se opponendi relativè fundamento, vt cum communi Doctorum sententia docet Caietanus cap. 7. de ente, & essentia, quæst. 15. Respectiva verò prædicamentalia sunt sola illa entia, quæ in prædicamento relationis collocantur. Et licèt aliquæ relationes rationis, vt *genereitas*, *vniuersalitas*, & similes dicantur *prædicamentales*, non est, quia ad tale prædicamentum pertineant; siquidem in illo sola entia realia collocantur; dicuntur tamen sic, quia in multis relationes reales prædicamentales imitantur. Hæc respectiva realia prædicamentalia, alia sunt abstracta vt relationes; alia concreta, vt relativa, aut correlativa. Abstracta collocantur

*Com. Doct. Caietan.*

directè, & ratione sui in prædicamento; quia sunt entia per se, vt *paternitas*, *similitudo*, &c. Sed ad hoc quatuor exigunt conditiones, vt communiter docent Doctores apud Complut. in logic. disp. 14. q. 5. videlicèt, prima est, subiectum reale. Secunda, rationem fundandi realem. Tertia, terminum realem, & realiter existentem. Quarta, vt fundamentum, & terminus realiter distinguátur. Diffiniturque huiusmodi relatio, quòd sit *accidens faciens respicere aliud*, id est, faciens vt fundamentum respiciat terminum, vt relativè oppositum. Ratio est, quia relatio est essentialiter oppositio relativa: oppositio autem inter duo extrema necessariò versari debet; & illa à fortiori constituit formaliter relativa, id est opposita relativè, quę diffiniuntur ab Aristotele sic: *Relatiua sunt, quorum totam suum esse est ad aliud se habere*, quam diffinitionem admittit Dialecticorum turba: quia tam fortis

*Com. Doct. Complut.*

*Aristot. Dialectici*

vt sic dicamus, respicientia vnum respicit aliud, vt nihil aliud expræsset; & hæc dicuntur *concreta*. Ideòque omnis relatio, sive mutua, sive non mutua essentialiter terminatur ad respectivum, vt ex Aristot. D. Thoma, cum nobilioribus Thomistis docent nostri Complut. in logica disp. 14. quæst. 6. & in Resumpta, ibidem §. 1.

Aristot. S. Thom. Thomist. Complut.

25. Vndè necessarium est, vt relatio duas tribuat denominationes. Alteram intrinsecam fundamento, in quo intrinsecè recipitur, & illud constituit *relativum*; Alteram termino, quem relativum respicit, & hæc est extrinseca, & terminum constituit *correlativum*. Aliquando enim istę denominationes sunt eiusdem rationis, vt quas tribuit relatio, v. g. similitudinis, quæ constituit extrema opposita relativè *similia*. Aliquando diversæ rationis, vt relatio, v. g. maternitatis constituit, & denominat *matrem* subiectum, in quo intrinsecè recipitur, & terminum, in quo solum est, extrinsecè denominat extrinsecè *filium*, vt numquam ex D. Thom. dicemus, & idem dicendum est de paternitate propter eamdem rationem. Similiter relatio filiationis denominat intrinsecè *filium*, in quo intrinsecè recipitur, scilicet, fundamentum; & terminum denominat extrinsecè *patrem*, aut *matrem*. Et quia ratio termini est formaliter diversa à ratione fundamēti, ideò est diversa formaliter ratio terminandi à ratione respiciendi; quapropter licèt Petrus, v. g. dicatur extrinsecè *filius* à paternitate existente intrinsecè in patre, aut à maternitate existente in matre; & dicatur intrinsecè *filius* à filiatione existente intrinsecè in ipso Petro, nullum est inconveniens, cum sit secūdum diversam valdè rationem: & denominationes etiam sunt diversæ, vna scilicèt extrinseca, & alia intrinseca. Ex quo sequitur, relationem eo, quòd sit essentialiter op-

S. Thom.

positio relativa, tribuere essentialiter prædictas denominationes relativis, quæ cóstituit, scilicèt fundamento intrinsecam, & termino extrinsecam: qua propter fundamentum, quòd dicitur *relativum*, essentialiter respicit terminum, vt respectivum extrinsecè: nam huiusmodi denominatio nunquam potest defficere à termino; secus autem denominatio intrinseca, quam aliàs fundat, quando relationes sunt mutuæ; siquidem hanc non fundat, nec dicit, quatenus terminus relationis, quæ ad illum ordinatur; sed quatenus fundamentum illius, quæ in ipsomet termino fundatur. Cum ergo hæc denominatio extrinseca minimè posset defficere à termino, quia de essentia relationis est illam tribuere, vt diximus; relatio verò intrinseca ex parte termini defficere potest, sequitur, quòd omnis relatio, sive mutua; sive non mutua sit, terminatur essentialiter ad respectivum extrinsecum. Quapropter omnes Theologi, & Philosophi Christiani affirmant, extensionem in ordine ad locum non esse de essentia quantitatis, quia aliqua quantitas in aliquo casu, nempè quantitas Christi Domini in Eucharistia, non habuit extensionem localem. Similiter affirmant, actualem inhærentiam accidentium non esse de illorum essentia, quia aliqua accidentia in liquo casu illam non habuerunt de potentia absoluta; sed fuerunt sine subiecto, vt in Eucharistia accidentia panis, absque substantia panis: ergo si omnis relatio non mutua, & aliquæ relationes mutuæ possunt dari, quin detur relatio intrinseca ex parte termini, vt numero sequẽti constabit, non erit de essentia relationis etiam mutuæ ad respectivum intrinsecũ terminari. Ideòque relatio est illarum formarum, quarum quælibet, quamvis vnica sit, duas tribuit denominationes in diversis subiectis: vnam

*Theologi. Philosophi*

vnam in quo recipitur; alteram ad quod ordinatur, vel iuxta quod versatur. Sicut etiam actio denominat causam, a qua effectivè procedit, *agentem*; & subiectum, in quo recipitur, *affectum actione* ob penuriam nominum, vt docent nostri Complut. in Phisic. disp. 17. quæst. 3. quamvis in vno solo recipiatur: in agente, si actio est immanens; in termino autem si fuerit transiens. Vnio etiā denominat vtrumque extremum quamvis vnica sit, & in vtroque intrinsecè non recipiatur: siquidem non solum naturaliter; verum nec de potentia absoluta potest vnica individualiter entitas, aut modus in duplici subiecto recipi intrinsecè: quia cum à subiecto sumatur individuatio, ideò si duplex esset subiectum, duplex etiam esset, quòd in illis reciperetur: consequenterque esset vnum, & non esset vnum. Quod autem sit vnica numero vnio inter materiam primam, & formam substantialem, in qua exemplum procedit, docent nostri Complutens. in Resumpta cum alijs, in Phisica disp. 6. quæst. 3. quia vnio essentialiter est nexus duorum: ergo ad illas vniendas plures ponere superfluum est. Cum igitur talis vnica vnio substantialis nequeat in toto composito phisico constante ex materia prima, & forma substantiali recipi; siquidem si compositum secundum aliquam rationem præintelligeretur, vt potens recipere vnionem, præintelligeretur absque vnione: ergo antequam reciperet, aut daretur vnio iam daretur compositum: ergo vt detur compositum phisicum ex materia, & forma substantiali non requireretur vnio: quod est contra doctrinam Complutensium, quam veram supponimus: sequitur à fortiori; quòd in solo vno ex illis extremis, scilicèt, in materia prima, aut forma substantiali recipiatur. Ex duobus autem huiusmodi extremis aptior est materia pri-

Complut. Complut. Alij.

prima ad dictam vnionem recipiẽdam, quam forma: ergo in illa sola recipitur. Probatur antecedẽs, quia materia prima se habet in cópo sito per modum subiecti: sed quod se habet per modum subiecti aptius est ad recipiendum: ergo. Tum etiam, quia in sententia prædictorũ Auctorum vnio est materialis non solum in compositis ex omni parte materialibus, in quibus non est difficultas; sed etiam in homine: & consequenter educitur ex potentia materiæ primæ: ergo in sola illa debet recipi; maximè quia vnio non est quid transiens. Et licèt extrema dicãtur ***intrinsecè vnita***, non est quia intrinsecè recipiant vnionem, nam ad huiusmodi denominationem sufficit, quòd vnio intrinsecè recipiatur in sola materia, & media illa vniat materia sibi formam, vt intrinsecũ actum illius. Et etiam quia media tali vnione, in sola materia existente intrinsecè, copullantur vt actus, & potentia ad constituendum, & componendum intrinsecè compositum substantiale. Quam doctrinam veram esse cognoverunt, & probarunt nostri Salmant. tract. 21. de Incarnatione disp. 4. dub. 1. n. 31. & 32. vbi postquam probaverant, inter humanitatem, & Verbum Divinum esse vnicam creatam vnionem. Nec Verbum se habere ex parte sua, vt vnionem, qua humanitati vniretur; sed vtrumque extremũ illa vnione creata intrinsecè vniri, vt in eodem dubio postea ostẽdunt cõtra Illustrissimum Godoy. In quiunt loc. & num. citat. ***Motiua autem prædicti Auctoris*** (id est, Illustrissimi Godoy) ***non vrgent: quoniam, vt humanitas, & Verbum vniuntur vnione intrinseca, & reali, opus non est, quòd vnio respiciat, & afficiat eodem modo vtrumque extremum; sed sufficit, quòd recipiatur in humanitate, illamque coniungat Verbo, sicut termino intrinsecè humanitatẽ suppositanti. Est enim huiusmodi***

*Salmant.*

*Illustriss. Godoy.*

*modi vnio respectus quidam transcendentalis, vt diximus num. 27. Respectus autem cum in vno subiectiuè sit, alterū etiam respicit, & denominat.* Hucusque Salmaticenses statimque ponunt exemplum, tùm in vnione inter humanitatem, & subsistentiam creatam, quæ solum in humanitate intrinsecè recipitur. Tùm in vnione inter subiectum, & accidens, quæ intrinsecè in sola substantia, seu subiecto recipitur. Et nihilominus omnia extrema dicuntur, & sunt *intrinsecè vnita*; quāvis non *intrinsecè affecta vnione*. Sicut filius dicitur *genitus*; & tamen in nostra sententia generatio substantialis non recipitur intrinsecè in filio; sed in materia prima; & tamen ista non dicitur intrinsecè *genita*; sed *affecta generatione*, ob nominū penuriam. Iuxta quam doctrinam explicandi sunt Complut. in Resumpta, si quid ore tenus videntur opponi; maximè cum idem sit Auctor Resumptæ, & huius tomi cit. de Incarnatione. Nec potest dici, quòd vnio recipitur intrinsecè in duobus extremis, sicut in subiectis inadæquatis: nam idem posset dici, de receptione vnius formæ substātialis in duplici materia: & vnius accidentis in duplici subiecto; quod implicat. Videantur Complut. tom. 2. disp. 4. quæst. 5. & Salmant. tom. 1. disp. 1. & disp. 2. dub. 3. num. 57. & 61.

Complut.

Complut.

Salmant.

26 Quod autem talis denominatio extrinsecè se habens in termino relationis, vt explicuimus numer. præcedenti, semper sit in termino; secus verò relatio intrinseca, quę in ipso fundetur, est manifestum in doctrina D. Thomæ. Nam in primis, quòd terminus relationis non mutuæ, non constituatur relatiuus per relationem intrinsecè existentem in termino, evidens est; Nam ideò dicitur *non mutua*, quia illi ex parte termini non correspondet alia relatio. Mutuę verò licèt vt in plurimum semper exigant

S. Thom.

gant aliam ex parte termini relationem; nihilominus plures sunt, quæ talem relationem non habent; vt manifestè constat in omnibus relationibus, quas creaturæ, vt effectus, dicunt ad Deum, vt ad suam causam, quibus ex parte Dei non correspondet relatio vera, & realis; sed secundum rationem; aliàs Deus in tempore realiter mutaretur. Nam relatio resultat posito fundamẽto, & termino: creaturæ autem in tempore sunt: ergo relationes reales inter Deum, & creaturas erunt in tempore. Nec valet dicere, Deum ab æterno habuisse realem relationem, qua posset referri ad creaturas quando existerent; nam nec Div. Thomas vnquam hoc docuit; nec Theologi; nec potest aliqua ratione substineri, nam iam daretur abæterno relatio realis ad creaturas non existentibus creaturis, contra tertiam conditionem relationis traditam num. 24. Idem dicendum est de relationibus *dissimilitudinis*; quas etiam creaturæ dicunt in tempore respectu Dei, eo, quòd differant essentialiter: militat enim eadem ratio. Item licèt maternitas ex natura sua sit mutua; tamen in Beata Virgine Maria talis est, vt ex parte Filij, nempè Christi, non correspõdeat relatio realis filiationis, vt expresse docet D. Thom. 3. part. quæst. 35. art. 5. in corpore; sed solum dicitur *Filius* à maternitate existente intrinsecè in B.V. Maria, quæ extrinsecè denominat Christum Dominum *Filium*. Et rationem assignat D. Thomas, quia istæ denominationes Filij non cadunt supra naturam; sed supra suppositum, & consequenter si relatio realis filiationis se haberet ex parte Christi Domini, mutaretur in tẽpore Persona Verbi Divini, quòd repugnat manifestè. Mihi autem certum videtur, omnes supra dictas relationes, esse ex genere suo mutuas: ergo quandoque defficit à relationibus mu-

S.Thom. Theologi. S.Thom.

tuis,

tuis, quòd correspondeat illis ex parte termini aliqua relatio realis, qua terminus referatur ad fundamentum: ergo talem relationem habere, non est de essentia relationis mutuæ: siquidem quod est de essentia nequit alicui defficere adhuc de potẽtia absoluta: daretur enim specificatum realiter in rerum natura, absque suo specificativo: vel daretur aliquid à parte rei, absque eo, quòd essentialiter exigit, vt à parte rei sit: quod ex terminis implicat, vt per se est manifestum: ergo omnes à respectivo extrinseco specificãtur, quòd nunquam defficit, nec potest defficere, habeat, aut nõ habeat, terminus relationem intrinsecam; alias de medio tolleretur, relationem essentialiter terminari ad respectivum, quòd ex dictis esse non potest. Vndè prædictæ relationes mutuæ solú connaturaliter exigunt relationem ex parte termini intrinsecam, quæ aliquam ob causam defficere potest, vt dictum est. Videantur infra dicenda num. 79. vbi ratio à priori ostenditur. Et manet etiam ostẽsa num. antecedenti.

27 Ista sufficiebant dicta pro respectivis. Sed quia plura inveniuntur in Aristot. & D. Thom. quæ mihi quandoque convicerunt, vt omnia accidentia, tàm secundum rationem communem, quàm particularem affirmarem à substantia sumere speciem; seu in ordine ad substantiam specificari; retento tamen simul modo loquẽdi Thomistarum; ideò proponam Aristotelis, & D. Thom. fundamenta, simul & rationes, vt quisque videat, vel quibus respondendum est; vel quid probabiliter forsitan sequendum; ille tamen tribuatur assensus, quem rationes ipse suaserint. Ego verò quoad præsens nihil resolvo; sed præ oculis propono. Vbi breviter generalia valdè, & optima, videbit Thomistarũ principia, tàm Philosophica, quàm Theologica, quibus con-

*Aristot: S. Thom.*

*Aristot: S. Thom.*

congruum non est, hanc materiam privari, tàm pro Thomistis, quàm pro non Thomistis; nam omnibus, vt alibi dictum est, scribimus, & quibusdam possunt proficere. Pro quo iure optimo.

28 Supponendum est primò omnia accidentia secundum rationem communem analogicam accidentis ad omnia prædicamenta, specificari per ordinem ad substãtiam. Hoc est ita certum in via Div. Thomæ, & Discipulorum eius, vt nemo neget, immo etiam extra eius Scholam plures docent. Constat quidem manifestè ex Aristot. 7. Metaphisicæ, text. 4. vbi ait: ***Substantia omnium primum est ratione, & notitia, & tempore, aliorum enim Cathegorematum nullum est separabile; hæc autem sola, & ratione hoc primum, necessè est enim in vnius cuiusque ratione, substantiã rationem esse.*** Quod explicans D. Thomas ibi lect. 1. lit. D. ait: ***Substantia tribus modis est prima inter omnia entia, scilicèt, secundum cognitionem, & secundum diffinitionem, & secundum tempus.*** Et postquam explicuit quomodo sit prima secundum tempus inter omnia entia, ait: ***Et quod etiam sit prima secundum diffinitionem patet, quia in deffinitione cuiuslibet accidentium oportet ponere diffinitionem substantiæ, sicut etiam in deffinitione simi ponitur nasus, ita in deffinitione cuiuslibet accidentis ponitur proprium eius subiectum, & ideò sicut animal est prius deffinitione, quam homo, quia deffinitio animalis ponitur in deffinitione hominis, eadem ratione substãtia est prior deffinitione accidentibus.*** Et postea explicans idem S. Doct. quomodo substãtia sit prior accidentibus ordine cognitionis, in fine ait: ***Sicut enim alia prædicamenta non habent esse, ita non habent cognosci, nisi in quantũ participant aliquid de modo cognitionis substãtiæ, quod est cognoscere quid est.*** Hucusque D. Thomas quod & alibi repetit multoties, & quædam postea di-

S.Thom. Thomistæ, Alij. Aristot. S.Thom. S.Thom.

dicam. Vndè patet manifestè, quòd accidentia adminus secũdum rationem quasi cõmunem accidentis (vel communem, casu, quo admittatur conceptus obiectivus simpliciter præcisus) specificantur per ordinem ad substantiam. Et probatur hac brevi, sed efficaci ratione: quia per ordinem ad illud aliqua specificantur, per ordinem ad quod essentialiter diffiniuntur: sed accidentia essentialiter diffiniuntur per ordinem ad substantiam: ergo accidentia specificãtur per ordinem ad substantiam: quod ad minus debet intelligi secundum prędictam rationem communem. Maior probatur, quia specificatio rei per deffinitionem essentialem manifestatur. Minor constat ex authoritatibus Aristot. & D. Thom. proximè relatis. Vbi observandum est, quòd licèt dicat S. Thom. subiectum debere poni in deffinitione accidentis; non est quia loquatur de substantia, vt formaliter est subiectum reduplicativè, quòd patet evidenter; tum ex antecedentibus, & consequentibus prædictę auctoritatis, & ex reliquis dictis, & dicendis. Tum quia subiectum vt reduplicativè tale non specificat; siquidem differentia vt dictum est num. 22. sumitur à forma, seu ab eo quod habet rationem formæ; solum igitur habet subiectum vt tale individuare, vt etiam diximus supra num. 15. Sicut etiam quamvis substantia sit frequentissimè causa efficiens, saltem per modum principij dimanationis, suorum accidentiũ, non specificat illa vt efficiens: nam huius rationis non est specificare; sed formæ; & propter eamdem rationem quamvis substantia sit, vt verè est, finis accidentium; siquidem propter illam instituta sunt á natura, & vt illi serviant; & finis in re coincidat sæpissimè cum specificativo extrinseco transcendentalium saltem respectivorum; & in præsenti semper, propter im-

mediatè dicta; tamen non specificat prædicta accidentia, vt exprælsat, & manifestat rationem finis; aliciendo, seu movendo, vt sic dicamus naturaliter, seu ex vi intentionis naturæ; sed vt intelligitur terminare respicientiam illorum, seu vt actuat extrinsecè illam, vel quasi se prævet, & quamvis extrinsecè se communicat essentiæ illorum, quòd est proprium officium, & expressio formæ extrinsicè specificātis. Quamvis quidam absolutè affirmant à fine desumendam esse specificationem. Aliqui.

29. Secundò supponendum est, quòd omnia accidentia secundum rationem propriam, & constitutivam vniuscuiusque prædicamenti specificantur per ordinem ad substantiam, v.g. qualitas vt qualitas est: quantitas vt quantitas est: Relatio vt relatio est, & sic cætera prædicamenta, vt talia. Hoc est ita certum apud D.Thom. quod solis verbis illius manet, & authorizatum, & probatum; cum simul affirmet, & probet illud. Nam 1. Ethic. lect. 6. litt. D. explicans Aristotelem hoc ipsum docentem, ait: *Quod manifestat ex hoc, quòd bonum invenitur in eo, quòd quid est, id est substantia, & similiter in qualitatibus, & in alijs generibus. Manifestum est autem, quòd illud, quòd est per se ipsum ens, scilicèt, substantia, est naturaliter prius omnibus his, quæ non habent esse, nisi in cōparatione ad substantiam, sicut est quantitas, quæ est mensura substantiæ, & qualitas, quæ est dispositio substantiæ, & ad aliquid* (id est relatio) *quòd est habitudo substantiæ, quæ omnia, & alia genera assimilātur propagini entis, id est substantiæ, quæ est principaliter ens, a qua propaginantur, & derivantur alia genera, quæ etiam in tantum dicuntur entia, in quantum accidunt substantiæ*: ergo ex mente D. Thomę, simul & Aristotelis omnia prædicamenta accidentium, seu omnia accidentia secundum Aristot. S.Thom.

dum propriam, & constitutivam rationem vniuscuiusque prædicaméti specificantur per ordinem ad substantiam. Quod etiam constat manifestè ex dictis num. præcedenti cum Arist. & D. Thom. Maximè, quia secundum doctrinam Angelici Doct. 8. metaphisic. lect. 3. & lib. 10. lect. 3. & 1. part. quæst. 13. art. 5. & alibi, quem sequntur omnes eius Discipuli, vt testantur nostri Complutens. in logica disput. 11. quæst. 4. ens non dicit vnum cóceptum communem præcisum, & abstractum à suis inferioribus; sed immediatè est decem prædicamenta, substantia, quantitas, qualitas, &c. & consequenter sunt genera suprema, quorum nullum habet supra se aliquam rationem superiorem dicentem aliquem conceptum abstractum, & præcisum simpliciter: consequéterque ratio communissima accidentis non est aliud, quam immediatè novem genera accidentium secundú proprias rationes vniuscuiusque prædicamenti, vt proportionabiliter se habentia inter se: vndè idem est dicere: *Accidens specificatur per ordinem ad substantiam secundum rationem communissimam accidentis*, ac dicere: *Quodlibet prædicamentum accidentis secundum propriam rationem specificatur per ordinem ad substantiam*: siquidem alia ratio ab illis diversa non datur; ex quo sequitur, quòd nec potest deffiniri. Præterquam quod Div. Thom. expresse deffinit essentiam cuiuslibet prædicaméti accidentium per ordinem ad substantiam, vt manifestè patet ex dictis in hoc, & preced. num. & insuper idem repetit ipse D. Thom. 11. metaphis. lect. 3. lit. B. in fine, dicens: *Ens simpliciter dicitur id, quòd in se habet esse, scilicèt, substantia; alia verò dicuntur entia, quia sunt huius, quòd per se est, vel passio, vel habitus, vel aliquid huiusmodi. Non enim qualitas dicitur ens, quia ipsa habeat esse; sed per eam substantia* di-

S. Thom. Thomistæ, Complut.

S. Thom.

*dicitur disposita esse. Et similiter de alijs accidentibus, & propter hoc dicit (id est Aristotelis quem ibi explicat) quod sunt entis.* Et ratio proprijssima prædictæ doctrinæ est, quam in prædictis testimonijs manifestant Aristot. & Angelicus Doctor, nempè quod accidentia omnia sunt instituta à natura per se primo propter substantiam, id est vt seruiant substantiæ. Et ideò tota sua essentia stat in respiciendo per se primo in intentione substantiam: & consequenter in omnibus suis exercitijs, ita essentialiter habent imbibitum huiusmodi respectum, vt quamvis hoc, aut illud exerceat officium, est propter substantiam, & vt illi inseruiant: vndè officium, vel materiam circa quam (si non fuerit ipsa substantia immediatè) respiciunt in executione; in intētione verò ipsam substantiam per se primo: ex quo respectu, & non ex alio sumitur specificatio; & in quo expressatur eius essentia.

30 Quod vt clarius appareat, & ad speciales rationes possimus descendere oportet omniū prædicamentorū accidentium deffinitiones tradere secundum illam rationem secundum quam essentialiter constituitur quodlibet in suo prædicamento, seu supremo genere, vt se ipso ab alijs diverso, vtpotè quid simplex, & non compositum ex generica, & differentiali ratione; alias suprema non foret. Sit igitur prima deffinitio prædicamenti quantitatis, quam tradit Div. Thom. loc. cit. ex 1. Ethic. lect. 6. sic: *Quantitas est mensura substantiæ*, quòd intelligitur â Div. Thom. & Thomistis apud nostros Complutens. in logica disput. 13. quæst. 1. de mensura, seu extensione substantiæ constituendo illi partes in ordine ad se; non verò in ordine ad locum; siquidem Christus Dominus habet quantitatem in Eucharistia cum suis partibus, & non in ordine ad locum. *Qualitas est disposi-* *S. Thom. Thomistæ Complut.*

*tio*

S. Thom. *tio substantia*, vt patet ex D. Thom. loc. cit. *Relatio est* ex eodem S. Thom. ibidem, *habitudo substantiæ.* Nam licèt plures relationes fundentur etiam, & sunt habitudines aliorum prædicamentorum, vt relationes æqualitatis, v.g. in quantitate, & similitudinis in qualitate, & sic de alijs; tamen semper in intentione respiciunt substantiam. Primò, quia quãtitatem, & qualitatem radicat, & sic de alijs. Secundò, quia sicut ipsa sola habet esse vt *quod* simpliciter; alia verò prædicamenta vt *quo*, ideò quælibet relatio est simpliciter vt *quod* habitudo substantiæ, id est ratio quare substantia referatur vt *quod* ad terminum. Et hac ratione propriè loquendo vnum accidens non dicit simpliciter, & vt *quod* relationem ad aliud; sed substantia vt quanta, seu vnum quantum ad aliud. Vnum album ad aliud album, &c. ratio est, quia illius est referri vt *quod* simpliciter, cuius est habere esse vt *quod* simpliciter: sed accidentia non habent esse vt *quod* simpliciter; sed vt *quo*; secus autem substantia: ergo non accidentia; sed substantia refertur vt *quod*, quamvis radicaliter ratione sui; & proximè, seu formaliter ratione formæ accidentalis. Tertiò, quia etiam servitur (venia Grammaticorum) & respicitur substantia, in hoc, quòd vnum accidens dicat hunc, aut illum respectum ad aliud, vt postea dicetur num. 35. *Actio est motus prout ab agente*, vt dicitur 3. Phisic. & essentialiter respicit substãtiam vt effectivè radicaliter motivam, vel causativam. Aristot. *Passio est motus prout in passo*; seu *est accidens quo res constituitur actu recipiens.* Et respicit substantiam vt actualiter, & exercitè passibilem, secundum quod adhuc in hac ratione expressat munus terminandi, actuandi, seu extrinsecè formalizandi respectum, seu essentiam passionis, iuxta suprà dicta

num. 28. *Vbi* est *circunscriptio corporis à circunscriptione loci proveniens.* Et respicit essentialiter substãtiam vt radicaliter, seu mediatè circunscriptibilem. *Quando* est *quædam affectio rebus addita, per quam dicuntur esse, aut fuisse, aut futuras esse per modum cuiusdam rei ex insidentia temporis relicta.* Et essentialiter respicit substantiam vt sic affectibilem, vel respicibilem, vel attingibilem. *Situs* est *positio, seu ordo partium in loco.* Et essentialiter ordinatur ad substantiam, vt corpoream, radicalitèr, seu mediatè in loco ponibilem, seu ordinabilem. *Habitus* est *adiacentia corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt.* Qui essentialiter respicit substantiam, vt radicaliter, seu mediatè sic adiacibilem. Omnes has deffinitiones secundum expressa verba illarum videbis apud nostros Complutens. in logica in proprijs locis. Nec in his vltimis prædicamentis facilè est amplius illorum essentias explicare, propter debilitatem entitatis.

Complut.

31 Hinc iam facilè est secundum generalem regulam ab omnibus observatam discurrendi in hac materia de specificativis, & rerum constitutivis, de quibus suprà egimus à numer. 18. ad particularia accidentia descendere, & postea dicam quomodo retinendus sit, vt nobis Thomistis congruum est, modus communis loquendi Thomistarum. Discurrunt quidem (& benè) omnes, quod, quia de ratione, v.g. compositi substantialis (id est substantię corporeæ completæ phisicè consideratæ) generalìter sumpti, est constitui essentialiter, & specificari intrinsecè à forma substãtiali vt sic; ita de ratione generica intermedia est constitui essentialiter, & specificari à forma vt generica (suo modo, id est per modum partis) intermedia, cum maiori, aut minori vniversalitate, secundum quod maiorem

Com. Doct.

vniversalitatem, vel minorem habuerit compositum substantiale. Et quia cópositum metaphisicum (vel vt alij dicunt, logicum) vt sic, constituitur per differentiam vt sic; ita tale compositum per talem differentiam. Et sicut quia vt suprà diximus, num. 20. potentia vt sic respicit obiectum vt sic; ita talis potentia tale obiectum, vt discurrendo sicut in prædicto numero dixi, omnibus patebit. Et idem est de omnibus specificatis comparativè ad sua specificativa: ergo idem dicendum est de omnibus accidentibus respectivè ad substantiam, à qua specificantur, ita vt quia quantitas, vt sic est mensura, seu extensio substantiæ corporeæ vt sic; ita talis quantitas sit extensio, seu mensura talis substantiæ corporeæ; vel tali modo respiciat substantiam vt extensibilem. V.g. *Linea*, quæ habet extensionem versus longitudinem, *sit mensura, seu extensio substantiæ versus longitudinem*. Similiter *superficies*, quæ habet extensionem versus latitudinem deffinitur, quòd *sit mensura, seu extensio substantiæ versus latitudinem*. Denique *corpus*, quòd habet exensionem iuxta profunditatem, vt differt ab alijs speciebus, deffinitur, quòd *sit extensio, seu mensura substantiæ versus profunditatem*. Sic similiter in qualitatibus: quia enim *qualitas vt sic est dispositio substantiæ vt sic*; ita *talis qualitas est dispositio talis substantiæ*, & secundum talem, vel talem differentiam iuxta maiorem, vel minorem vniversalitatem, vel differentiam exercitiorum, seu officiorum talium qualitatum; siquidem & ipsæ qualitates cum suis differentijs, & officijs sunt institutæ à natura, vt serviant substantiæ, & sint propter illam. Nam sicut ideò qualitas, vt sic specificatur à substantia vt sic, quia in ratione entis qualitas est ens entis, id est substantiæ, & est propter illam,

quia

quia est instituta à natura, vt secundum hanc vniversalitatem explicat eodem modo servire substantiæ: & quia vt sic analogicè conveniunt, & substantia est principale analogatum, & qualitas minus principale, & quia habet specialem rationem entis, nempè per modum dispositionis; sicut quantitas per modum mensuræ, seu extensionis, & alia prædicamenta secundum alias rationes: sed qualitates corporeæ si comparentur cum substantia corporea, aqua, vel fluunt, vel cui à natura dantur, idem habent. Idem etiam habent qualitates vitales comparatæ cum substantia vitali. Et qualitates sensitivæ comparatæ cum substantia sensitiva. Et denique qualitates rationales, v.g. intellectus, & voluntas (& ad istas pertinentes, seu quæ in illis recipiuntur vt in subiecto *quo*) si comparentur cum substantia rationali, v.g. homo, habent hoc ipsum: siquidem non conveniunt vnivocè tales qualitates cum talibus substantijs: & sunt datæ à natura, vt talibus serviant substantijs, ideò à natura disponitur, vt propter tales substantias sint, vt per se est manifestum: ergo etiam dicendum erit, quòd tales qualitates secundum suas talitates, seu differentias specificētur à talibus substantijs, iuxta maiorem, vel minorem extēsionem, & correspondentiam explicatam.

32 Et tandem speciali modo manifestatur in potentijs specialibus, v.g. hominis per correspondentiam gradus qualitatis cum gradu substantiæ, à quibus intelliguntur fluere. Potentia generativa hominis, vt est qualitas, disponit hominem, vt substantia est, seu in ordine ad esse, qua ratione ornatur à qualitate; nisi velis dicere, quòd adhuc, vt potentia, potest disponere hominem, vt productivum substantiæ. Vt corporea est, disponit hominem, vt corporeus est,

&

& productivus alterius corporis. Vt generativa eſt, diſponit hominem, vt generabile eſt activè, hoc eſt vt generativus alterius eiuſdem ſpeciei, vt ſic, non determinando differentiam ſpecificam. Vt eſt potentia generativa, non corporis generabilis, ſeu generativi ſimplicis; ſed mixti, diſponit hominem, vt eſt mixtus ad generandum hominem vt mixtum. Vt eſt potentia generativa vitalis, diſponit hominem, vt eſt vivens, ad generandum vivens. Vt eſt potentia generativa ſenſitiva; id eſt, ſenſibiliter generans, diſponit hominem, vt eſt animal ad producendum hominem, vt animal, ſeu ſub ratione animalis. Et vt eſt potentia generativa hominis, diſponit hominem ad generandum alium hominem. Et ſicut omnes iſti gradus poſſunt diſtingui in potentia generativa hominis; ita diſtinguntur alij gradus in homine illis correſpondentes, qui terminent actuent, & ſpecificent extrinſecè illos. Hoc proportionali modo, vel quomodo vnuſquiſque velit diſponere gradus, vel qualitatis, vel quantitatis, relationis, &c. poteſt diſponere rationes ſpecificativas ex parte ſubſtantiæ iuxta huculque dicta: ſiquidem ſecundum hos gradus, vel alios ſimiles, ſunt accidentia inſtituta à natura, vt ſerviant ſubſtantiæ ſecundum gradus illis gradibus correſpondentes. ¶ Sed dices: quare potentia generativa non ſpecificatur à termino; ſi fuerit ſubſtantia; ſed à principio? ¶ Reſpondetur, quia eſt potentia principij, & ſubſtantiæ, in qua eſt, & ad illam ſerviendam eſt inſtituta à natura; nam termino alias tribuit potentias, vt illi ſerviant, & in quo ſint.

33 Nimis confirmabit prædictam doctrinam manifeſtare aliquos ſyllogiſmos in *Barbara*, vel *Darij*; nam ferè omnes pro-

probationes nituntur in illo fumularum principio, *Dici de omni*, hoc eft, *quidquid prædicatur vniuerfaliter de aliquo fubiecto, debet prædicari de omni contento fub illo*. In generali igitur poteft huiufmodi fyllogizari: *Omne accidens fpecificatur per ordinem ad fubftantiam: fed omnis linea, v.g. vel fuperficies, vel potentia operatiua, vel relatio, vel actio, &c. eft accidens: ergo omnis linea, fuperficies, potentia operatiua, &c. fpecificatur per ordinem ad fubftantiam*: fiquidem fecundum nullam rationem poffunt rationes genericæ, aut fpecificæ accidentis fubterfugere rationem accidentis. Ijdem fyllogifmi formantur in quolibet prædicamento fecundum fuas fpeciales rationes. Nam in quantitate, v.g. in hunc modum: *Omnis quantitas fpecificatur per ordinem ad fubftantiam: fed omnis linea eft quantitas: ergo omnis linea fpecificatur per ordinem ad fubftantiam*. Et idem fyllogifmus in *Barbara* poteft formari defcendendo ad fuperficiem, vel ad corpus, quæ funt fpecies quantitatis, & ad quafcumque alias. Vel efformabitur in *Darij*, fi minor ponatur particularis, v.g. *fed hæc quantitas*, v.g. *linea*; *vel fed hæc fuperficies eft quantitas*, *&c.*

¶ Nec refert fi dicas, in minori non reduplicari fupra rationem fpecificam lineæ, & ideò non concluditur, quòd linea fecundum rationem fpecificam, & differentialem illius fit quantitas: & confequenter non infertur quod prout fic fpecificetur per ordinem ad fubftantiam. ¶ Nam contra eft: fiquidem eft evidens, quòd fecundum illam rationem fpecificam, & differentialem eft quantitas, & continetur intra proprium prædicamẽtum; quia nulla fpecies conftituitur, nifi per differentias contentas in proprio prædicamento, & quæ diuidunt aliquam rationem com-

communem illius. Et ideò omnes differentiæ specierum prædicamenti substãtiæ sunt substantiales, & constituunt substantias vt hominem, equum, asinum, &c. vt per se patet. Solum quia est differentia constituit speciem in esse substantiam tali modo, seu cum differẽtia ab alijs speciebus: vt rationale constituit hominem esse substantiam rationalem, in quo differt ab equo, qui est hinnibilis, &c. Sic in quantitate, quælibet species est quantitas cum tali differentia, hoc est particulari modo extendens substantiam: linea, versus longitudinem. Superficies, versus latitudinem. Corpus, versus profunditatem: ergo supposita hac veritate, & explicatione, omnes silogismi, qui hoc modo formantur in *Barbara*, vel *Darij* erunt evidentes. Vndè in qualitate sic formãtur, & præcipuè in illis, in quibus potest esse maior difficultas, vt in potentijs operativis, & habitibus; quamvis de habitibus minorem debueramus habere difficultatẽ, eo quod nostri Complut. in logica disp. 15. quæst. 3. affirmant cum Aristot. & D. Thom. & illorum Expositoribus, omnes habitus, vel dispositiones specificari per ordinem ad naturam subiecti, in quo sunt, disponendo illam, vel in ordine ad se, vel in ordine ad operationem, vt in scientijs, &c. nihilominus, generaliter ostendamus. V. g. *Omnis qualitas specificatur per ordinem ad substantiam: sed omnis potentia operatiua est qualitas: ergo omnis potentia operatiua specificatur per ordinem ad substantiam.* Item, *omnis qualitas specificatur per ordinem ad substantiam: sed omnis habitus potentiarũ est qualitas: ergo omnis habitus potentiarum specificatur per ordinem ad substantiam.* Et similiter potest discurri descendendo ad speciales potentias, vt intellectus, voluntas, potentia visiva, auditiva, &c. formando silogismos, vel in *Barbara*, vel in *Darij*. Sumendo pro medio, vel

*Complut. Aristot. S. Thom. Alij.*

vel qualitatem, vt in prædictis silogismis; vel illis suppositis, potentiam, aut habitum, vt si dicas: *Omnis potentia specificatur per ordinem ad substantiam: sed omnis intellectus est potentia: ergo, &c.* Vel *sed hæc potentia*, v.g. *voluntas est potentia: ergo, &c.* Idem etiam de habitibus dicendum est descendendo ad quoslibet habitus intellectus, vel voluntatis, &c. siquidem omnes sunt qualitates, & habitus. Quod etiam eodem modo potest aplicari ad quaslibet species reliquorum prædicamentorum accidentium.

34 Ex quibus possumus devenire ad expressandas deffinitiones quorumcumque accidentium in particulari, quòd fiet clarissimè, & sine difficultate aliqua, ponendo pro genere rationem superiorem, vel deffinitionem illius, & pro differentia modum specialem respiciendi, vel serviendi substantiæ, vt de quantitatis continuæ speciebus diximus num. 31. quod quidem magis notum erit, si ponatur, & expresletur officiũ talis accidentis. Sit exemplum in quibusdam qualitatibus, sic: *Potentia operatiua est dispositio substantiæ in ordine ad operationem. Intellectus est dispositio substantiæ in ordine ad cognoscendum ens in omni vniuersalitate*; seu *sub generalissima ratione entis.* Vel gradus substantiæ potest poni cum minori vniversalitate, expræssando gradum ex quo talis potentia oritur, iuxta dicta num. 32. Et quia intellectus cõvenit homini, quia substantia rationalis est, vel vt animal rationale, seu quia homo est, potest sic deffiniri: *Intellectus est dispositio substantiæ rationalis in ordine ad cognoscendum ens in communi in omni vniuersalitate entis.* Vel *est dispositio hominis, &c. voluntas est dispositio substantiæ in ordine ad diligendum bonum in omni vniuersalitate.* Vel, vt alij docent, *ad diligendum, vel odio habendum omne ens.* Si ad habitus descendamus di-

dicemus sic: v.g. Phisica, *est dispositio substantiæ in ordine ad demõstratiuè cognoscendum ens mobile, seu ens naturale.* Logica, *est dispositio substantiæ in ordine ad cognoscendum demonstratiuè ens rationis.* Arithmetica, *est dispositio substantiæ in ordine ad cognoscendũ demonstratiuè numerũ.* Qua ratione potest quilibet quascumque voluerit effórmare in qualibet specie subalterna, vel infima cuiuscumque prædicaméti diffinitiones, recta methodo, & sine confusione, quam in rebus deffiniendis non semel experti sunt omnes.

35 Notandum est valdè in hac materia, quòd iam insinuavimus, scilicèt, non omnia accidentia immediatè in executione attingere substantiam; sed quædam immediatè, vt quantitas, & aliquæ proprietates in aliquibus substantijs. Quædam non habent materiam extrinsecam ad quam ordinentur, vel circa quam versentur. Quædam immediatè circa talem materiam versantur. Quædam deserviunt immediatè quibusdam accidentibus, & illis mediantibus substantiæ. Tamen quodlibet accidẽs in quocumque exercitio, seu officio sit, vel circa quamcumque materiam versetur, semper in intentione per se primo respicit substantiam, vt servibilem per tale exercitium: & ipsum exercere, est ipsum servire substantiæ. Vndè per ordinem ad illam specificantur per se primo. Et quia substantia ad nullum alium ordinatur; siquidem intra proprium prædicamentum habet suum complementum, ideò specificat accidentia absolutè vltimatè, seu irresolubiliter; illa verò accidentia, quæ terminant aliud, vt actiones, quæ terminant potentias, aut habitus, & eius obiecta, quia tandem ad substantiam ordinantur; siquidem in ipso, quôd est terminare deserviunt substantiæ, & sunt propter illam, saltem extrinsecè; quia se habent vt comple-

plementum potentiarum, ideò ista quodammodo ſpecificant; id eſt ſecundum quid, per modum medij, & non vltimatè, nec irreſolubiliter; quod manifeſtatur exemplo politico. Rex enim in ſuo Regno plures habet Miniſtros, & quamvis omnes deſerviant Regi, & propter illum ſerviendum ſunt vt Miniſtri inſtituti à Republica, vel ab ipſo; tamen non omnes reſpiciunt in executione ipſam Regis perſonam immediatè; ſed quidam circa Regis perſonam exercētur: quidam circa divitias: quidam circa domus adminiſtrationem: quidam circa currus, aut equos: quidam circa militiam, &c. Nec quia magis diſtant à perſona Regis, quantum ad materiale exercitiũ, illam quaſi manutĕtantes, ideò erunt Miniſtri inferioris conditionis; ſæpè enim maximę ſunt authoritatis, exceduntque plures ex illis, qui proprius ad Regis perſonam exercitio ſuo accedunt, vt patet in Vice-Regibus, & Generalibus Ducibus Militiæ. Similiter quidam ſunt, qui alijs Miniſtris ſuperioribus immediatè ſubduntur in ſuis miniſterijs; nihilominus tamen adhuc Regis Miniſtri ſunt; quia ſi illis Miniſtris ſuperioribus obediunt, nō eſt vt illis ſerviant; ſiquidem illos Dominos ipſorum non agnoſcunt; ſed quia ita inſtitutum eſt à Rege, vt Regis iuſſa illo ordine exequantur; quapropter omnes Regis appellantur Miniſtri, & omnes per ſe primo in ordine ad Regem diriguntur, vt ſervibilem ab illis ſecundum diverſum vniuſcuiuſque miniſterium, & exercitium. Qui autem maioris authoritatis ſint? Cognoſcitur ex nobilitate, ſeu excellentia ſuæ occupationis, & exercitij: nam eo ipſo Rex eſt nobiliori modo ſervibilis à tali Miniſtro; & quia non habemus nomina, quomodo explicemus diverſitates rationum in Rege vt ſervibile, non poteſt alio modo explicari; vt diximus dum

de

de obiectis potentiarum egimus suprà num.22. Id ipsum dicendum est de accidentibus respectu substantiæ,& cum proportionali applicatione: Nam substantia est quasi quidam Rex in esse naturali; & accidentia sunt eius Ministri secundum diversam vniuscuiusque rationem, vt dictum est: & vt taliter servibilis specificat illa. Hinc fit, substantiam non esse dicendam propriè obiectum simpliciter,seu materiam circa quam omniũ accidentium; sed omnium est terminus, & finis simpliciter, & forma extrinsecè actuans, & specificans. Hinc etiam constat quomodo inter se, maximè cohereant duæ illæ celebres opiniones Thomistarum. Prima, quòd omnia accidentia, vel qualitates specificentur à substantia. Secunda,quòd aliqua,id est, potentiæ,habitus,&c.specificantur à suis actibus, & obiectis: quæ videbantur opponi sicut *omnis*, & *aliquis non*. Hoc est,contradictoriè, vt v.g. **Omnis qualitas specificatur per ordinem ad substantiam. Et aliqua qualitas** (id est potentia, aut habitus) ***non specificatur per ordinem ad substantiam.*** Et similiter: ***Omne accidens specificatur per ordinem ad substãtiam. Et aliquod accidens*** (id est relatio, aut situs,&c.) ***non specificatur per ordinem ad substantiam.*** Constat denique, potentias, habitus, & quodlibet aliud accidens, respicientia aliquod obiectum, vel terminum, specificari ab illo ***per modum medij.*** Sed à substantia, cuius sunt potentiæ, habitus,actiones,accidentia, & ad quam serviendam sunt per se primo instituta à natura, specificantur ***vltimatè, & irresolubiliter***: qua distinctione omnia ferè argumenta facillimo negotio solvuntur. Quod si affirmetur potentias, & illarum operationes ordinari ad sua obiecta, vt ibi sistant tanquam in finem, frequentissimè esset de ordinatio maxima; vt probabitur infra cap. 7. num. 64. quia

*Thomist.*



fre-

frequentissimum est, potentias, & illarũ operationes esse perfectiores suis obiectis, vt patet in ferè omnibus potentijs vitalibus, & illarum actionibus, quarum obiecta non ita perfecta sunt. Quod apertius de habitibus constat in Logica, cuius obiectum est ens rationis, vt ex Aristotele, & S.Thom. docent omnes Thomistæ; & tamens ens rationis est imperfectissimũ omnium entium, vt ait S.Thom. opuscul. 56. Siquidem consistit *in quodam esse ficto, quòd solum habet esse obiectiuè in intellectu*: ergo nequit esse finis logicæ, nec operationum eius.

*Aristot.* *S.Thom.* *Thomist.* *S.Thom.*

36 Vnde hæc omnia non opponuntur communi loquendi modo Thomistarum, qui dicunt, & benè dicunt, quòd potentiæ specificantur ab actibus, & obiectis; quamvis ab istis mediantibus actibus, seu per modum medij. Ratio est, quia actus, & materia circa quam versantur, id est obiecta, sunt magis nota quoad nos, & ideò erit notior deffinitio. Insuper cum actus, seu actiones circa talem materiam, seu obiectum, sit medium, quo potentia respicit substãtiam, siquidem est ipsum servire substantiæ, ideò erit deffinitio essentialis; quamvis ibi non sistat, vsque dum veniat respicientia ad substantiam. Qua ratione etiã habitus operativi diffiniũtur à Thomistis per ordinem ad operationem, & obiecta; & tamen ipsi Thomistæ cum Aristot. & D.Thoma, vt videre est apud nost. Complut. in logica disp. 15. quæst. 3. deffiniunt essentialiter habitum per ordinem ad naturam, seu substantiam, cuius est habitus. Idemque affirmant de dispositionibus, quæ ad perfectionem habitus nondum attigerunt, seu sunt ex natura sua facilè mobiles à subiecto.

*Thomist.* *Aristot.* *S.Thom.* *Complut.*

37 Hucusque dicta intelliguntur de substantia, & accidentibus naturalibus: nam supernaturalia hic tam exactè tractare congruum non est, vbi

Ty-

Tyrones ad scientias acquirendas instruimus. Tamen duo insinuemus. Primum, quòd non datur substátia supernaturalis creata, propterquam accidentia sint, & cuius sint entis entia. Et cum gratia habituali, quæ in tali ordine se habet per modum naturæ, & radicis, conveniunt ferè omnia vnivocè in ratione qualitatis. Et ideò terminatur essentialiter illorum respicientia in obiectis.

*Salmant.* Secundum, quòd Salmant. nost. tom. 1. tract. 2. disp. 3. dub. 2. §. 4. affirmant quòd omnia entia supernaturalia, quia sunt participationes Dei proprio modo ipsius Dei, qui solus est substantia in ordine supernaturali, pendent in formali ratione ab illo. Ideò respiciunt illum vt obiectum specificativum, & finem connaturalem ipsorum. Et inde inferunt repugnare substantiam supernaturalem creatam, quia specificaretur ab extrinseco, nempè à Deo; & substantia vt talis debet specificari à se. Vndè sequeretur specificari à se, & nō specificari à se. Sed nota, quòd Virtutes Theologales solum essent, quæ immediatè exercitè attingerent Deū. Ex quo maior nostræ resolutionis accedit confirmatio.

## CAPVT VI.

*Quæ, & quomodo demonstrari valeant per causam efficientem.*

38 EX causa igitur efficienti principali vnivoca arguitur effectus eiusdem speciei cum causa quoad naturam; non verò cum medijs, quibus producitur: nec quoad omnia accidentia communia similis arguitur effectus; nam quoad hoc potest effectus suam causam vnivocam excedere; quia potest illa accidentia ab alijs causis diversis participare: ideòque constat experientia, ex patre debili filium robustum ortum ducere. Si causa fuerit principalis æquivoca, arguitur effectum esse de-

bere diversæ speciei, minoris tamen perfectionis. Ratio est, quia effectus habet totum suum esse à causa; causa autem nequit tribuere perfectionem, quam in se non habet: ergo nequit producere effectum maioris perfectionis essentialis: ergo debet producere causa æquivoca effectum minoris perfectionis essentialis. Patet hæc vltima consequentia, quia si effectus esset eiusdem perfectionis essentialis, & speciei cum causa, iam causa non esset æquivoca, sed vnivoca. Vndè infertur, falsum esse quod aliqui videntur asserere, scilicèt, Solem esse causam principalem æquivocam viventium, vt talium, hancque rationem attingere, licèt non vt rationem *sub qua*: benè tamen vt rationem *qua*. Et probatur, nam Sol est minoris perfectionis quam viventia; siquidem est substantia inanimata, vt docet D. Thom. 1. part. q. 70. art. 3. quem sequuntur communiter Theologi, & iuniores Philosophi, Probantque nostri Complutens. in Resumpta tom. 5. tract. de Cœlo, disp. 1. q. 5. insuperque S. Thom. loco cit. ad 3. asserit corpora cœlestia esse instrumēta respectu productionis viventium; motorem verò Cœlorum, vtpotè vitalem esse causam principalem, qui motor non est intelligendus Angelus, sed Deus primus motor. Siquidem S. Thom. 1. p. quæst. 110. art. 1. in corpore expresè affirmat, compositum substantiale non posse procedere immediatè ab Angelo, sed vel à Deo, vel ab agenti corporeo, quòd magis explicans, ibi ad 3. inquit, quòd licèt aliqui effectus naturales procedant ex virtute Angelorum, qui non possent procedere ab agentibus corporeis, hoc fit applicando activa passivis per scientiæ suæ dispositionem, sicut Cocus aliquas res naturales operatur non propria virtute; sed per ignem, secundum quandam artis dispositionem, & moderationem.

*S. Thom. Theologi. Philosophi Complut.*

*S. Thom.*

*S. Thom.*

Qua-

Quare Sol tantum potest concurrere principaliter æquivocè ad rationẽ corporis generabilis inventam in viventibus, quia Sol tantùm concurrit generando, & introducendo calorem, siccitatem, aut alias qualitates corruptivas in subiecto corrumpendo, quas qualitates Sol eminenter continet. Non tamen potest Sol attingere rationem corporis sub ratione præscindenti à generabili, & in generabili; nam si posset, vtique posset principaliter producere corpora cœlestia; quòd sic ostenditur; quia quælibet causa potest naturaliter producere omne contentum sub sua ratione formali principaliter attingendi; sed corpora in generabilia (vt sunt cœlestia corpora, siquidem Sol non generat Solem, nec Luna Lunam; alias forma cœlestis corporis naturaliter destrueretur ad introductionem denuò productæ, & consequenter corpus naturaliter incorruptibile, naturaliter corrumperetur, quòd implicat in terminis) sub ratione corporis præscindentis à generabili, & in generabili continentur: ergo, &c. Vt rationem *qua* poterit Sol attingere omnem rationem inventam in effectu; dummodò non excedat Solis perfectionem, vt perfectionem omnem inventam in igne.

39 Idem quod dictum est de Sole, dicẽdum est de alijs corporibus cœlestibus æquivocè causantibus effectus sublunares; stabit quidem differentia in modo attingendi prædictos effectus, scilicèt sub ratione corporis generabilis, medijs his, aut alijs accidentibus magis vniversalibus, aut particularibus in ratione continendi effectus: ex quibus infertur proprijssima ratio attingendi, id est sub maiore, aut minori vniversalitate obiectiva, id est, se tenente ex parte rei attingibilis. Quare licèt sit eadem ratio *qua* attacta, est tamen diversa in ratione attingibilis, & consequen-

ter in ratione ſpecificandi, & terminandi prædictas cauſas; illarum virtutes, & operationes. Advertere tamen opportet naturam eſſe aliquando cauſam efficientem reſpectu paſsionum, ſeu proprietatum; & ſic ex illa iſtæ demonſtrantur, etiam tanquam per cauſam effectivam.

40. Obijcitur contra doctrinam num. 38. ſtabilitam, & num. 39. immediatè antecedenti applicatam alijs cœleſtibus corporibus, videlicèt, Solem non producere principaliter vitalitatem rerum ſublunarium, adhuc vt rationem *qua*, licèt principaliter producat rationem corporis realiter identificatam cum vitalitate vt in equo: & ſic formatur obiectio. Cauſa quæ realiter principaliter producit in effectu aliquam formalitatem, debet etiam realiter principaliter producere quidquid realiter eſt identificatũ cum tali formalitate; ſed per nos So' principaliter realiter producit rationem corporis inventam in equo, v.g. ergo debet etiam realiter principaliter rationem vitalitatis idẽtificatam realiter cum ratione corporis in tali equo producere. Maior probatur, quia illæ duę formalitates ſunt realiter idem: ſed repugnat idem realiter produci, & non produci; ergo, &c. Igitur licèt illam vitalitatem non producat vt rationem *ſub qua*; producet tamen vt rationem *quæ*.

41. Reſpondetur diſtinguendo maiorem; ſi continetur intra ſpheram ſuæ activitatis, & virtutis, concedo; ſi non continetur, nego maiorem. Et conceſſa minori negatur conſequentia: quia vitalitas non continetur intra ſpheram activitatis, & virtutis Solis, vt diximus. Ad probationem maioris, cõcedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſecundum eandem formalitatem, cõcedo; ſecundum diverſam, ſub diſtinguo, quantum ad eſſe à parte rei, concedo: quantum ad procedere ab ca-

eadem causa, nego. Ideòque repugnat, quòd Sol ponat in rerum natura rationem corporis inventam in equo, quin simul alius equus, vel Deus ponat in rerum natura equi vitalitatem; non tamen repugnat vnam formalitatem produci à Sole principaliter, & aliam à Deo, vel alia causa principaliter. Quod manifestatur multiplici instantia. Prima in sententia valdè plausibili, quòd *ratio entis* in quolibet effectu producitur principaliter à solo Deo, adhuc vt ratio *qua*, & talitas entis, seu ratio specifica principaliter producitur à creatura: & tamen ratio entis, & talitas entis non distinguuntur realiter: & in sententia plurium, neque distinguũtur per rationem cum fundamento in re. Secunda, quia habitus, vel potentia causat principaliter actum, secundum quod est tendentia in obiectum, & non producit principaliter maiorem actualitatem, quam actus dicit supra habitum, vt docet S. Thom. quæst. 1. de virtutibus, art. 1. ad 14. Sed solum instrumentaliter, vt docent nostri Salmantic. tom. 4. de peccatis, tract. 13. disput. 3. dubio vnico, num. 7. & 8. Tertia, est in peccato cõmissionis quod formaliter sumptum consistit in positivo, vt cum pluribus docent nost. Salmant. tom. 4. de peccatis, tract. 13. disp. 6. dubio 4. quòd positivum producit Deus principaliter quantũ ad entitatem, & actualitatem; non quantum ad deformitatem; & tamen istæ formalitates non distinguuntur realiter; sed solùm quoad explicitum. Quarta, est in instrumentis, quorum effectus prævius aliquando non distinguitur realiter ab effectu causæ principalis, vt cum alijs Thomistis docent nostri Complut. in Phisic. disp. 12. de instrumentis, quæst. 2. & tamen principaliter producunt suum effectum prævium, & principaliter nõ producunt effectũ principalis agentis.

*Aliqui Auctor.* *Plures Auctor.* *S. Thom.* *Salmant.* *Salmant. cum alijs.* *Complut. Thomistæ.*

Quinta, & vltima instantia est, quia aliàs sequeretur, formicam posse principaliter producere Angelum, Solem, hominem, &c. siquidem posset dici habere sufficientem virtutem ad producendam formalitatem substantiæ cum qua cæteræ sunt identificatæ realiter: igitur obiectio non subsistit.

42 In secunda instantia num. præcedentis asserui cum D. Thoma, & Salmanticensibus, licèt vialiter, nullam potentiam, vel habitum posse principaliter producere effectivè suos actus secundum excessum maioris actualitatis importatum in actibus suprà suum habitum, vel potentiam: & ratio in qua nititur, est ex num. 38. scilicèt, omnem causam effectivam principalem debere esse maioris, vel æqualis saltem perfectionis cum effectu, secundum quod, scilicèt, est effectus illius, eo quod *nemo potest dare, quòd non habet: vel producere, quòd minimè continet*, vt lumine naturali notum est; tamen assertio absolutè sumpta tam gravissimas patitur difficultates, vt non sit conveniens solum quasi per transennam resolutioné attingere. Et ideò quibusdam placuit, vt graviores proponerem, eisque ex doctrina Angelici nostri Præceptoris, nostrorumque Salmanticensium satisfacerem, vt quisque in materia, quæ tam frequenter occurrit, ab argumentis se expedire valeat.

43 Primum igitur argumentum, quòd in contrarium occurrit, est. Nam actus, seu operatio potentiarum, vel habituum, aut cuiuscumque causæ createæ est actus secundus, & causalitas, prout illos excedit in actualitate; v.g. calefactio respectu caloris, & intellectio respectu intellectus: sed prout actus secundus, & causalitas illorum debet ab illis principaliter effectivè procedere, v g. calefactio à calore, & intellectio ab intellectu; aliàs nec calor principaliter calefaceret, nec intelle-

tellectus principaliter intelligeret: siquidem causa, cuius causalitas, & actus secundus ipsi principaliter non attribuitur, non dicitur causa principalis. Ex quo sequitur, nullam causam creatam esse causam principalem effectus creati: siquidem in opposita sententia nulla causa creata producit principaliter suam causalitatem, & actũ secundum, qui sic illam excedit, medio quo, vt tali; & non aliter, producitur effectus: ergo necessario fatendum est, potentiam, vel habitum, vel quamcumque aliam facultatem principaliter producere suum actũ, & operationem, vt tales; ne talia sequantur absurda.

44 Nec refert, si huic tam efficaci rationi respódeatur, actum, vel operationem habere duplicem formalitatem: primam vt est tendentia in obiectum, vel terminum, vel effectum. Alteram in ratione maioris actualitatis. Et secundum hanc, esse à solo Deo principaliter, & effectivè; tamen secundum primam, qua ratione est eiusdem speciei infimæ cũ habitu, vel potentia, est principaliter ab ipsis, & causalitas, & actus secundus illorum, & sic causant principaliter suos effectus.

Non inquam refert; nam hæc solutio plura absurda, & implicatoria involvit. Quando enim naturalis ratio, aut vera philosophia docuit, quamlibet causam, vel potẽtiam, vel habitum indigere alia entitate eiusdem speciei infimæ, quæ sit causalitas illius? Si enim sunt eiusdem speciei infimæ (vt tenentes prædictam doctrinam adstruunt) quare non habent eadem prædicata, & proprietates, & officia naturalia? Quare illa entitas erit actus primus; & ista actus secundus? Illa causa; & ista causalitas? Illa permanens; & ista fluens, & cito decidens? Illa immanens; & ista quandoque transiens? Illa, id est, potentia, vel habitus, de prædicamento qua-

qualitatis; ista quandoque de prædicamẽto actionis? Quanta autem his consideratis ex dicta solutione inferantur absurda, quisque consideret. Ergo vt certum tenendũ est, actus, seu operationes, vel actiones distingui essentialiter specifice, immo aliquando prædicamentaliter à potentijs, vel habitibus, habereque proprias differẽtias, perquas constituuntur, distinctas ab illis, perquas constituuntur potentiæ, vel habitus, respicereque diverso modo obiectum, nempè sub ratione magis actuali, & minus vniversali, & cito fluenti, decidentique, & immediatè immediatione entitatis, id est, per se ipsas; secus verò habitus, & potentias, quæ attingunt obiectum ex se in potentia; in actu tamen mediantibus operationibus, seu actibus. Vnde actus nequeunt cõsiderari secundũ suam specificam essentiam præscindendo ab actualitate; nam essentialiter sunt actualitates: nec talis actus in specie infima, absque sua vltima differentia, alias iam nõ consideraretur illa essentia actus; sed alia diversa. Vel si illa; tamen solum consideraretur secundum rationem genericam, vel analogam actus; non secundum infimam.

45 Secundò arguitur: Nam plures actus, & operationes potentiarum, vel habituum sunt vitales, vt in viventibus non solum est rationi notum; sed plerumque patet ad sensum: Atqui ad istos actus, vt actus sunt, viventia, aut potentiæ, vel habitus non concurrunt instrumentaliter; sed principaliter: ergo non obstante, quòd actus, seu operatio excedat in actualitate, potest produci principaliter à suis causis creatis, seu potentia, vel habitu. Maior, & consequentia patent. Minor autem probatur: Nam si actus vitalis, vt talis, non procederet principaliter; sed instrumentaliter à potentia vitali, vel viventi, sequeretur, quôd vivens, & potentia per ta-

lem

lem actum moverentur actualiter à se; & non moverentur actualiter à se: sed hoc implicat contradictionem: ergo & id, ex quo sequitur. Probatur sequela: nam in primis, moveretur à se; siquidem *officium vitæ est moveri à se*: quia procedere debet actio vitalis à principio intrinseco coniuncto. Deinde, non moveretur à se: siquidem de ratione instrumenti est moveri ab alio; & ab extrinseco, nempè à principali agente, quòd in sententia opposita est solus Deus.

*Axioma.*

46 Tertiò arguitur. Nam si solus Deus prout concurrit, v.g. cum intellectu ad intellectionem, produceret principaliter ipsam intellectionem secundum suam actualitatem; & intellectus solum produceret illam instrumentaliter, sequeretur, quòd solus Deus principaliter intelligeret, & contemplaretur se per illam intellectionem creatam; non verò intellectus, aut homo cum intellectu: sed hoc est absurdissimum, & falsum: ergo & quod intellectus, & homo cum intellectu non producant principaliter intellectionem secundũ suam actualitatem. Consequentia constat. Minor probatur: Nam implicat, Deũ intelligere intellectione creata formaliter; alias Deus actuaretur per illam, vtpotè vitalis, & immanens forma est intellectio, & manet in solo principaliter intelligente. Deinde implicat, Deum intelligere intellectione finita; alias finito modo cognosceret. Maior sic ostenditur: Nam intellectio secundum quod in actualitate excedit intellectum est intellectio, vt actualis perceptio obiecti (immo & secundum vltimam actualitatem est cõtemplatio, vt docent nostri Complut. de Anima, disp. 21. quæst. 4. & in Resumpta disp. 20. quæst. 3.) eo, quòd existentia in ordine intelligibili est intellectio secundum vltimam actualitatem vlterius non determinabilem, vt tenet no-

Com

Salmant. noſtri Salmantic. tom. 1. tract. de ſcientia Dei, diſp. 4. dub. 1. & 2. & præcipuè tract. de voluntate Dei, diſp. 1. dub. 1. & diſp. 2. per totam, & alibi frequenter, quòd munus competit intellectioni ſub munere contemplationis: ergo ſi ſolus Deus principaliter illam produceret, ſolus Deus per illam principaliter cognoſceret. Vel ſi Deus non; nullus intelligeret principaliter per illam: quod eſt ridiculum.

47 Quartò arguitur: Nam ſequeretur, voluntatem creatam non eſſe liberam in ſuis actibus: & conſequenter, quòd tolleretur ratio meriti; aut demeriti: ſed hoc eſt contra veram Philoſophiam, & contra Fidem: ergo, &c. ſequela probatur, tum ex S. Thom. D. Thom. 2. 2. quæſt. 23. art. 2. in corp. vbi ait: *Similiter etiam non poteſt dici, quòd ſic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi ſicut movetur inſtrumentum: quòd et ſi ſit principium actus, non tamen eſt in ipſo agere, vel non agere, ſic enim tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti.* Tùm ratione; Nam actus voluntatis, vt præciſè eſt exercitium libertatis, excedit in actualitate ipſam voluntatem, vt ex terminis conſtat: ergo ſi prout ſic non procederet principaliter à voluntate; ſed ſolum inſtrumentaliter, non procederet ab illa, vt à principio coniuncto intrinſeco, nec vt à principio indifferenti ad agere, vel non agere; ſed à principio extrinſeco, & vt determinata, & mota ab alio, quòd repugnat voluntario, & libero, vt per ſe patet, & conſtat ex D. Thom. loc. cit. his verbis: S. Thom. *Non enim motus charitatis ita procedit à Spiritu Sancto movente humanam mentem, quòd humana mens ſit mota tantum, & nullo modo ſit principium huius motus, ſicut cum aliquod corpus movetur ab aliquo exteriori movente. Hoc enim eſt contra rationem voluntarij, cuius oportet principiū in ipſo eſſe, ſicut ſuprà dictum eſt.*

Vn-

*Vnde sequeretur, quòd diligere non esset voluntarium, quòd implicat contradictionem: cum amor de sui ratione importet, quòd sit actus voluntatis.*

48 Quinto arguitur: Nam sequeretur, intellectum creatum non posse principaliter cócurrere ad intellectionem supernaturalem, vt supernaturalem tendentiam in obiectum, v.g. ad visionem beatificam: & consequenter, hominem per talem visionem non esse principaliter beatum: sed hoc est falsum, & contra communem Thomistarum sententiam; & secunda sequela contra fidem: ergo, &c. Sequela probatur: Nam sicut intellectio excedit intellectũ in actualitate, ita intellectio supernaturalis excedit intellectum in supernaturalitate: sed quia excedit in actualitate non producit illam principaliter: ergo quia excedit in supernaturalitate non poterit illam producere principaliter; sed instrumentaliter.

*Commun. Thomist.*

Vnde à fortiori sequitur, hominem non posse principaliter elicere operationes supernaturales, & consequenter nec mereri præmium vitæ æternæ, quòd est contra Fidem nostram.

49 Sexto arguitur: Nam si quælibet potentia, vel habitus concurreret instrumentaliter ad suam operationem secundũ excessum actualitatis, deberet habere aliam operationem propriam suam, ad quam principaliter concurreret, vt docent communiter Thomistæ cum suo Magistro, asserentes, esse de ratione instrumenti habere actionem præviam, quæ actio etiam excedit potentiam, aut habitum in actualitate: ergo si non obstãte huius actionis maiori actualitate, potest potentia, vel habitus illam producere, pariter poterit producere illam primam. Quod si dixeris, etiam ad actualitatem huius præviæ actionis concurrere instrumentaliter: Infero, etiam ad hanc debere habere aliam actionem

*Commun. Thomist. S. Thom.*

nem præviam. Vnde vel debet procedi in infinitum, quòd Philosophia abhorret, quia implicatoriũ omninò est; vel deveniendum ad aliquam actionem, quam principaliter producat. Vel saltem in eadem actione ad aliquam formalitatem, quæ vt causæ principali potentię, vel habitui correspondeat, & expresset maiorem actualitatem, quam potentia, aut habitus; siquidem debet expressare quod sit causalitas, & exercitium, & actus secundus illius.

50 His omnibus gravissimis difficultatibus, & alijs similibus, vel quæ ex his formari possunt, duplici via ocursum ibimus ex nostris eruditissimis Salmanticensibus. Primam enim viam ostendunt prædicti PP. tom. 1. tract. 2. disp. 3. dub. 1. num. 6. & 7. & 8. Distinguendo duplex genus causarum, quæ possunt attingere aliquam actionem, ad quam non habent sufficientem virtutem. *Aliud est, quòd nullam habet virtutem respectu talis actionis, etiam radicalem, & incboatam:::vt quãdo non continetur intra obiectum adæquatum illius, seu non ordinatur ad obiectum, vel terminum contentum sub obiecto, vel termino specificatiuo illius.* Et exemplum ponunt ipsi Salmanticens. vt calefactio respectu aquæ, quæ licèt elevetur ab agente calido, v.g. ab igne, producendo in illa calorem, vt possit calefacere; tamen calefactio est extra obiectum, seu terminum virtutis aquæ; siquidem calefactio ordinatur ad producẽdum calorem, qui omninò est extra terminum specificativum, seu vt melius dicam, terminativum suæ activitatis, quæ solum ad humiditatem, & frigiditatem, per similes, quas habet, virtutes extẽditur, & ideò solum potest habere intra spheram suæ activitatis actiones talibus terminis, & virtutibus correspondentes, vt sunt humectatio, & frigefactio. Vnde calefactio est extra spheram suę activitatis absolutè,

Salmant.

tè, & ideò quando talem operationem elicit aqua virtute superioris, id est, alterius agentis, v.g. ignis, aut Solis, tunc aqua concurrit instrumẽtaliter propriè ad talem actionem, & nullo modo principaliter.

51 ***Aliud genus causæ est, quòd habet virtutem saltem radicalem, & inchoatam ad talem actionem producendam, ex eo, quòd prædicta actio continetur intra obiectum adæquatum illius, in quantum est attingentia, vel productio, vel perceptio alicuius obiecti, vel termini contenti sub suo obiecto specificatiuo, vel termino suæ activitatis.*** Et huiusmodi agens, vel causa, quamvis ad eliciẽdam talem actionem indigeat elevatione, seu virtute ab alio agente communicata; nihilominus concurrit ad illam per modum causæ principalis. Et ratio est: quia talis virtus, vel elevatio perficit ipsum agens, seu causam intra propriam lineam, & spheram suæ activitatis, & essentialis, seu extensivæ proportionis, & ideò appropriatur ipsi causæ, & non censetur extranea illi; sed iuxta suam naturam: & consequenter ex tali causa, & virtute fit vna causa adæquata principalis particularis illius operationis. Vnde inferunt, quòd licèt intellectus creatus sit in ordine naturali, & visio beatifica in ordine supernaturali, & illum excedat in perfectione, consequenterque nequeat illam elicere, nisi Deus elevet illum lumine supernaturali gloriæ; tamen principaliter elicit illam, vt iam est tali lumine elevatus, & proportionatus: quia visio beata est intellectio cõtenta intra suum obiectum specificativum, seu extensivum, in quantum est operatio tendens ad Deum cognoscendum in se ipso, quod est obiectum contentũ intra spheram suæ activitatis, seu sui obiecti extensivi, vel specificativi. Hanc doctrinã tradunt prædicti Salmant. loc. cit. num. 6. & 7. & 8.

52 Eisdemque locis satisfaciunt sapientissimi Pa-

Salmant. Patres duabus instantijs. Prima erat, quòd respectu eiusdem actionis non potest dari duplex causa principalis particularis, & in hoc casu Deus etiam esset particularis, & principalis causa propter specialem communicationem elevationis, quæ esset virtus ad producendam visionem secundum illum excessum. Cui respondent num. 7. hoc non obstare

Complut. his verbis: *Quia vt benè notarunt nostri Complut. in lib. de gen. disp. 9. num. 56: non est inconveniens, vt vna, & eadem actio proveniat à duplici agente particulari, dummodo attingant illam sub duplici ratione inter se subordinata, quamvis vtraque contineatur intra lineam rationum correspondentium agentibus particularibus. Et ideò primus actus voluntatis Angelicæ processit à Deo, vt à causa particulari, ob idque talis actus non potuit esse peccaminosus: & idemmet processit à voluntate Angelica, vt à causa etiam proxima, quia fuit causa vitalis ipsius, quamvis à Deo processerit, vt se habet adinstar proprietatis voluntatis Angelicæ; ab Angelo verò vt fuit actus vitalis propriæ voluntatis. Vnde eadem visio creata Dei per essentiam procedit à Deo, vt à causa proxima, quia secundum istam rationem procedit à lumine gloriæ, vt est virtus ipsius Dei, & tenet se quodammodo ex parte ipsius tanquam ex parte causæ efficientis elevantis intellectum ad talem visionem. Et eadem met visio, vt est vitalis, tàm vitalitate supernaturali, quàm vitalitate sibi peculiari, quatenus hæc, saltem inadæquatè desumitur ex tali virtute vitali, nimirum ex intellectu, vt elevato per lumen gloriæ, procedit ab illo, vt sic elevato tanquam à causa principali, quia procedit à tali lumine, vt se tenet ex parte intellectus, & vt reduplicatiuè loquendo est illi intrinsecum in ordine ad operationem contentam sub obiecto adæquato eiusdem intellectus.* Hucusque nostri Salmanticenses.

Se-

53 Secunda instantia erat, quòd iam Deus videret se ipsum per visionem creatam, qua beatus videt ipsum Deum. Cui respondent sequentibus verbis, num. 8. *Respondetur enim, quòd videre dicit intrinsecè, & essentialiter actionem vitalem procedentem à principio intrinseco vitali, vt vitaliter influenti: & ita tantummodo prædictum principium, à quo vitaliter visio procedit, potest per eam videre Deum. Quare cum illa visio, vt procedit à Deo mediantè lumine, vt est virtus Dei, non procedat ab illo, vt à principio intrinseco vitali, quia non procedit ab illo, vt est quid intrinsecum intellectui (scilicèt diuino) reduplicatiuè, & formalissimè loquendo, & ita non procedit ab illo, vt à principio coniuncto, seu intrinseco vt tali, quòd ad rationem principij vitalis requiritur: inde est, vt per talem visionem solus intellectus creatus perfussus lumine gloriæ, à q.., vt à principio vitali procedit; non verò Deus per eam videat se ipsum.* Hæc Salmanticenses, vnde si intellectus lumine gloriæ perfussus non produceret principaliter visionem secundum actualitatem videndi Deum exercitè, in quo excedit visio intellectum, & lumen, sequitur quod per talem visionem nullus intellectus principaliter videret Deum: non creatus, quia non produceret illam principaliter; non increatus, propter rationem hìc à Salmant. attactam. Sicque instauraretur tertium argumentum num.46. propositum. Vnde dicendum est, intellectum lumine gloriæ perfussum esse reuera causam principalem prædictæ visionis, seu actualis operationis supernaturalis.

Salmant.

54 Quòd confirmant adhuc de qualibet intellectione prædicti Salmant. eodem tom.1. tract.4. qui est de voluntate Dei, disp. 1. dub. 1. num. 25. vbi affirmant, quòd intellectio cuiuscumque intellectus secundum rationem vltimæ actualitatis, & vt est Salmant.

actualissima vnio cum obiecto cognito, id est, secundum vltimam actualitatem percipiendi obiectum, est existentia in ordine intelligibili; & tamen ibidem num. 26: inquiunt, prædictam existentiā produci vitaliter, id est, per modum causæ principalis à potentia intellectiva: ipsorum verba sunt ista: *Quia vt dicebamus, natura huius existentiæ, quippè, quæ vitalis est, petit produci à propria potentia vitali constituta in actu per speciem intelligibilem*: ergo principaliter iuxta dicta num. 52.

55 Vnde potentia, vel habitus ex se non habent sufficientem virtutem ad producendam maiorem actualitatē in actu; nec aliqua causa creata potest talem virtutem, seu elevationem illis communicare; sed solus Deus: quæ elevatio est, vel quædam motio actualissima, & efficacissima; vel aliquod auxilium virtuosissimum, quo Deus proportionat potentiam, aut habitum, vt sufficienter, immo eminenter, cōtineant, & producant suos actus, & operationes, vt actuales attingentiæ sunt obiectorum contentorum sub suo obiecto specificativo, & intra spheram suę essentialis activitatis; & hac ratione dicitur; quòd in solum Deum revocanda est maior actualitas actuū, quòd paucis verbis denotarunt nostri Salmantic. tom. 4. tract. 13. disput. 3. dub. vnic. n. 12. dicendo: *Quare secūdum hanc rationem reducendus est (actus secundus) immediatè in causam primam, & in eius motionem, vel auxilium.* Id est, in causam primam tanquā in dantem virtutem potentię, vel habitui: in motionem, & auxilium, vt in virtutem ipsam, qua elevantur, & proportionantur ad maiorē actus actualitatem continendam, & principaliter producēdam iuxta doctrinam ex tom. 1. Salmanticensium traditam suprà à num. 50. Et ad tertium argumentum patet ex dictis hic num. 53. *Salmant.*

Ex

56 Ex quibus iam satisfacimus facilè ad omnes difficultates suprà in oppositum propositas, distinguendo duplex genus causæ, quòd retulimus numer. 50. & 51. & negamus esse causam principalem; sed instrumẽtalem, si causa se habuerit iuxta illud primum genus causæ. Talemque causalitatem, & operationem revocãdam esse tanquam in causam principalem in causam tribuẽtem talem virtutem, vt ex exemplo ibi de calefactione relato constat; nec illa argumenta cõtra hoc militant. Loquendo verò de secundo genere causæ, concedimus, omnes potentias, & habitus, & quãcunque causam elicere per modum causæ principalis omnes suos actus, operationes, & causalitates illis actualiores, quando licèt operentur media aliqua elevatione, est tamen in ordine ad attingendum obiectum, vel terminum contentum sub suo obiecto, vel termino specificativo, seu intra spheram suæ activitatis extensivæ, & essentialis; licèt non intensivæ, & proportionatæ ex se. Cum ergo omnia argumenta hoc solum suadeant, & de huiusmodi actibus, vel operationibus loquãtur, illa admittimus, vt rationes nostras intentum nostrum efficaciter suadentes. Sed quia huiusmodi causæ principales agunt, vt elevatæ ab alio superiori agente, modo dicto, sapiunt maximè naturam instrumenti; & ideò non semel in Schola Thomistica sic appellantur; sed intelligendum de instrumento impropriè, & large accepto; & quod potius est causa principalis propter rationes, & doctrinam ex nostris Salmantic. traditam. In quo sensu explicant ferè cõmuniter Thomistæ illum terminum: *Vt instrumentum*: *& sicut instrumentum*, quo vtitur D. Thom. 1.2. quæst. 21. art. 4. ad 2. dum dicit: *Quòd homo movetur, vt instrumentum à Deo ad actus liberi arbitrij, quibus meretur*. Et in 2.2. quæst. 173.

*Schola Thom.*

*Comm. Thomist.*

*S. Thom.*

art.4. in corp. *Quod in revelatione prophetica movetur mens prophetæ à Spiritu Sancto sicut instrumentũ deffiiciens respectu principalis agentis.* Adstruentes tales actus liberos, & vitales esse principaliter à causis secundis. Ad cognoscendum autem, quæ sit sphera activitatis essentialis, seu extensivæ, vide nostros Complut. de Anima, disp. 17. quæst. 1. §. 1.

Complut.

57 Secunda via, & modus occurrendi prædictis difficultatibus sumitur ex prædictis Salmant. tom. 3. tract. de Beat. disp. 1. dub. 2. & tom. 4. tract. 13. disp. 3. dub. vnic. vbi distinguunt in actibus, vel operationibus expressionem maioris actualitatis ab alijs rationibus inventis in actibus: & secundum hanc expressionem inquiunt procedere à solo Deo, vt à causa principali; licèt secundum alias rationes possint procedere principaliter â potentijs, vel habitibus. Vnde potentiæ, v.g. principaliter producunt suos actus, vt causalitates sunt, & tendentiæ in obiectum, vt vitales, vt voluntarij, vt liberi (& si quæ aliæ sunt formalitates) secundum quas rationes inquiunt, non expressare maiorem actualitatem super potentiam, vel habitum; tamen secundum quod actus expressat maiorem actualitatem, producunt illos solum instrumentaliter. Et modus defendendi hoc assertum, & solvendi oppositas difficultates est proportionabiliter ad modũ, quo deffendunt, quod licèt malitia moralis actus cõsistat in positivo; quamvis Deus causet quidquid realitatis est in actu; non tamen expressionem malitiæ.

Salmant.

Quæ autem ex his solutionibus, & doctrinis melior sit? quisque considerer. Mihi autem vtraque videtur probabilis: & vtraque conformis menti nostrorum Salmanticensium: vnusquisque tamen in suo sensu abundet.

58 Sicut diximus suprà num. 38. in fine, solem posse

posse producere principaliter omnem rationem inventam in effectu, dummodò non excedat solis perfectionem; ita dicendum est in causis vnivocis, v.g. in igne respectu alterius ignis, quem producit. Sicut enim ignis generans habet quod sit substantia, corpus, generabilis, mixtus, inanimatus, & ignis; ita etiam ignis genitus, absque aliquo substantiali excessu. Quare potest ignis generans producere principaliter vnivocè omnes formalitates supradictas ignis geniti: quòd potest fieri dupliciter, & vtrumque sustineri. Primò ita vt ratio *sub qua* vnus ignis alterum generat, sit ratio ignis; cæteræ verò rationes superiores ibi inventæ sint rationes *quæ* attactæ. Secundò ita vt plures sint rationes formales *sub quibus* attingendi in igne producto, vel producendo sicut plures sunt formalitates productivæ ex parte ignis generantis, v.g. quòd ignis generans, vt est substantia producat ignem sub ratione substantiæ, vt identificabilis cum gradu ignis; siquidem hoc modo non supponit passum simile in ratione substantiæ, v.g. lignum: quia lignum solum dicit gradum substantiæ, identificabilem cum gradu infimo ligni, quare poterit ignis talem gradum per se producere, & cæteros alios, vt identificabiles cum gradu infimo ignis: & sic est dicendum proportionabiliter de alijs causis, licèt per accidens attingat gradum substantiæ, & corporis ignis geniti, si tales gradus absolutè considerentur, quia absolutè quodlibet passum est simile igni in talibus gradibus, vt docent nostri Complut. in Resumpt. lib. 1. de gener. disp. 2. quæst. 4. num. 40. & idem dicendum est, vt est corpus producat, scilicèt, ignem sub ratione corporis, vt identificabilis cum gradu ignis, &c. Nequit tamen attingere sub ratione substantiæ, & corporis cum omni generalitate; aliàs pos- *Complut.*

posset attingere, & producere principaliter hominem, Solem, & Lunam, & alia corpora cœlestia, quæ sub hac ratione continentur, vt patet. Ex quo etiam constat, quòd ignis secundum gradum aliquem non sit causa vniversalis; siquidem causę vniversales non attingunt substantiam, aut corpus, generabile, vt contrahibilia per differẽtiam ignis. Maximè quia causæ vniversales sunt illæ, quæ secundum suum esse particulare habent virtutem ad attingendos effectus sub ratione aliqua vniversali, & superiori ad plures species, vt videre est in Deo; quòd quidem in igne non invenitur, vt patet. Videatur quod suprà diximus cap. 3. num. 12.

59 Hic autem oritur quædam dubitatio vtrùm videlicèt causa æquivoca creata, vt Sol, & vnivoca, vt ignis posśint principaliter attingere rationem entis, vt rationem *quæ*? & certè mihi videtur affirmativè respondendum ex principijs iam firmatis; quia causa principalis potest principaliter attingere omnes formalitates inventas in effectu, dummodò non excedant perfectionem causæ: sed ratio entis inventa, v.g. in igne non excedit perfectionem ignis generantis: ergo ignis generans potest illam rationem producere, saltem vt rationem *quæ*. Minor probatur; quia ratio entis est etiam in igne generante, quæ quidem est ratio substantiæ, vt proportionabiliter se habet ad accidens. Tùm etiam, quia ratio entis est omnium imperfectiśsima, & ideò quælibet ratio particularis, v.g. corporis, generabilis, mixti, inanimati, & ignis, addunt aliquã perfectionem supra ens, saltem quoad explicitum, & tàm quoad explicitum, quàm quoad implicitum ad minus æquant. ¶ Si autem obijcias, quòd ideô Deus dicitur causa vniversaliśsima, quia eius effectus est ens, quòd est quid vniversaliśsimum: ergo si quælibet causa princi-

cipalis potest principaliter producere prædictam rationem entis, vel Deus non erit causa vniversalissima; vel quælibet causa principalis erit ita vniversalissima sicut Deus; quòd quidem nequit dici. ¶ Respondetur, quòd quando dicitur, *ens esse proprium effectum Dei*, intelligendum est, vel quod ratio *sub qua* Deus attingit effectum, est ratio entis, & quia hæc ratio *sub qua* est vniversalissima: siquidem cópræhendit omne ens creabile, & generabile, & omne contentum sub illo, ad quod se potest exter dere producendum. Et ideò est vniversalissima causa, & omnibus perfectior: quia perfectio, & vniversalitas causæ non ex ratione *qua* limitata, qualis invenitur in igne genito; sed ex ratione formali *sub qua*, desumenda est, & cum hæc ratio *sub qua* soli Deo conveniat, inde est quod solus Deus est perfectissima, & vniversalissima causa; & hoc modo dicitur causa instrumentalis creatura respectu rationis entis (intellige generabilis, non verò creabilis; siquidē vt Thomistica docet Schola, nulla creatura potest instrumētaliter ad creandum concurrere) in quantum videlicèt, media illa, & suo effectu prævio attingit Deus illum effectum sub ratione entis. Vnde magis potest dici creaturam esse Dei instrumentum, non tantum ad rem productam quantum ad modum producendi: & sic rectè componitur effectus prævius creaturæ, id est, quòd ignis, v.g. prius attingat ignem, quantum ad speciem; quam quod Deus illum attingat sub ratione entis generaliter sumpti; vel sub ratione entis generabilis, & ex præsupposito subiecto producibilis, eo, quòd natura incipit ab imperfecto, vt tandem perveniat ad illud, quòd perfectius est: sed imperfectius est attingere ignem sub ratione limitata ignis, vt ratio *sub qua*; quam sub ratione genera-

*Com. Thomist.*

lissima entis, vel entis generabilis, & ex præsupposito subiecto producibilis, vt ratio *sub qua*: ergo rectè cōponitur, quòd prius sit ignem producere ignem sub ratione ignis; quam Deum medio igne, vt instrumento, attingere ignem genitum sub ratione entis generalissima, vel entis, vt generabilis, seu ex præsupposito subiecto producibilis; cum prioritatibus tamen in diverso genere causæ. Qui effectus prævius aliter componitur à nostris Complut. in Resumpta lib. 2. de gener. disp. 15. quæst. 5. num. 64. Non tamen abhorreo oppositum doctrinæ principaliter intentæ in hoc numero docere; sed probabiliter substineo; non quidem hìc præbebo fundamenta. Vel secundo dicatur, quòd quando asseritur, *proprium effectum Dei esse ens*, intelligendum est, vt reduplicativè existens, quòd verum est, eo, quòd existentia propter suam maximam actualitatem; siquidem est vltimus actus

*Complut.*

essentiæ, à solo Deo producitur, vt docent prædicti Complut. loc. suprà cit. iuxta secundam opinionem Salmantic. traditam num. 57. Tamen in hoc casu, sicut vnus homo, vt alium principaliter generet, vnit animam creatam à Deo materiæ primæ; ita causa secunda principalis vniet existentiam à Deo causatam essentiæ, vt sic verificetur, quòd ponit effectum extra causas, in quo consistit illum producere; alias si nullo modo communicaret principaliter existentiam, nullo modo principaliter produceret effectum. Vel tertio dicatur, nos loqui de ratione entis non generalissimè, & præcisivè sumpta; sed vt in illo effectu contracta, & vt talis speciei; v. g. ignis: qua ratione non excedit causam eiusdem speciei; vel maioris perfectionis, vt est causa æquivoca. In quo sensu poterit etiam causa secunda causare principaliter existentiam effectus, vt existentia est talis determi-

*Complut.*
*Salmant.*

minatæ speciei: siquidem existentiæ diversificantur in specie, sicut essentiæ, quarum sunt existentiæ, seu vltimus actus: tùm quia essentia est potentia ad esse, seu existentiam: ergo diversa essentia est potentia ad diversum esse, vel existētiam. Tùm, *quia tot modis dicitur actus, quot dicitur potentia*, vt commune docet axioma. Tùm quia esse͂tia spiritualis exigit existentiam spiritualem; & non corpoream: & èc͏ontra. Et essentia substantiæ exigit existētiam, quæ sit entitativè de genere substantiæ; non verò de genere accidentis; & èc͏ontra. Nec obstat maior actualitas, vt ex nostris Salmant. diximus à n.50. vsque ad 57. Adde, quòd causa principalis habet existentiam æqualis, saltem perfectionis cum existentia effectus, sicut & similem saltem habent naturam, & essentiam: sed hanc potest principaliter in effectu producere: ergo & producet principaliter existentiam. Maximè quia causa efficiens principalis ad dandam effectui existentiam terminatur.

*Axioma.*

*Salmant.*

60 Et sicut iam supra diximus, causas principales posse producere principaliter omnem rationem inventam in effectu, dummodò non excedat causæ perfectionem; ita proportionabiliter dicendum est de potentijs operativis, & earum operationibus; quia potentiæ operativæ, & earum operationes deserviunt substantiæ, seu naturæ ad producendum effectum quem intendit; ergo omnes formalitates, quas principaliter attingit natura, debent attingere potentiæ per modum principij activi instrumentalis, & operationes per modum fieri, & tendentiæ actualis: & idem est de principio proximo, & radicali respectu effectus, nam quem principium radicale attingit principaliter radicaliter, principium proximum attingit proximè. Et hoc quod diximus ita attemperandum est quod illud, quòd

quod natura attingit radicaliter secundum rationem vniversalem, v.g. substantiæ attingat potentia, vt potentia est, & operatio, vt est operatio; & quod natura, vt talis natura, v.g. corporea, producit, producat potentia vt corporea, & operatio vt corporea: & similiter descendẽdo per cœteros gradus, vsque ad vltimum, v.g. ignis, nam sicut natura, vt est natura ignis producit radicaliter ignem; ita potentia, vt est potentia ignis producit, vt proximum operandi principium ignem. Et similiter operatio, vt est operatio ignis. Eodem etiam modo ex parte obiecti, seu termini possunt distingui plures rationes *sub quibus* attingendi, vel saltem vnica media qua posſit terminare actionem se extendentem ad omnes gradus talis effectus, v.g. ignis, vt est ratio se extendendi ad hanc rationem *qua* vniversalem, v.g. substantiæ, vel ad aliam iuxta dicta suprà num. 58. Advertendum tamen, quòd quando dicitur, *naturam producere secũdum rationem substantiæ, corporis, generabilis, &c.* non est intelligendum secundum rationem substantiæ, vt sic, &c. Sed secundum quod illa natura, v.g. hic ignis dicit quod sit individuum substantię, corporis, generabilis, &c. existens à parte rei: quia operationes propriè sunt singularium existentium, aut subsistentiũ; siquidem vnum quodque agit secundum quod est in actu, existentiæ scilicèt, quòd non competit substantiæ, vt sic, & cœteris gradibus secundum rationem vniversalem, quia sic præscindunt ab omni existentia, & singularitate, & cõsequenter ab omni efficientia; sicut præscindunt etiam ab omni passiva producibilitate: quia est præcisio rationis.

61 Quantum ad reliquas causas principales, videlicèt totalem, partialem, &c. quoadmodum arguendi ex illis; constat ex illarum descriptionibus, ad-

adhibita doctrina hucusque tradita, quæ applicanda est iuxta cuiusque causæ naturam. Solum notetur quantum ad causam partialem, non dici talem ex eo præcisè; quòd non posit producere effectum absque concursu alterius causæ, quæcumque illa sit: hoc enim modo omnes causæ creatæ essent partiales; siquidem nulla est potens ad producendum effectũ sine concursu Dei, immo communiter concurrunt plures causæ ad vnicum effectum, vt v.g. ad productionem vnius ignis, concurrunt ignis generans, Deus, Sol, & alię causæ vniversales, causa finalis, materialis, & formalis; & tamen non omnes causæ prædictæ sunt causæ partiales respectu ignis geniti; sed omnes in suo genere sunt totales: ignis causa totalis efficiens eiusdem speciei: Deus causa efficiens totalis vniversalisima: Sol, & alia Astra, si fortè concurrunt, sunt causæ efficientes totales vniversales secundum maiorem, vel minorem vniversalitatem iuxta vniuscuiusque naturam, & virtutem: finis causa finalis totalis: materia est totalis in genere causæ materialis: & forma est causa totalis in genere causæ formalis. Quare solum dicuntur rigorosè causæ partiales, quæ sunt eiusdem generis, & servant eundem specie athoma modũ causandi, id est, quòd causent sub eadem ratione formali, vt duo ignes ad producendum alium ignem, & duo homines ad portandum lapidem: & hoc etiam si causæ materialiter specie differant, vt homo, & equus ad portandum lapidem simul concurrentes, nam in ratione causandi, hoc est, trahendi lapidem, non differunt specie, licèt entitativè, & materialiter differant. Et in causis materialibus illæ dicuntur partiales, quæ concurrunt simul eodem modo ad recipiendam eandem formam, vt si duæ materiæ primæ ad recipiendam simul eandem formam nume-

mericam equi: duo homines ad recipiendum, vt *quod* eundem numero calorem, & duplex quantitas ad recipiendum, vt *quo* eandem numero albedinem; nam si vnum subiectum reciperet vt *quod*, & aliud vt *quo*, iam nó essent partiales, quia non causant sub eadem ratione. Et idem dicendum est de causis efficientibus: nam causa vt *quod* efficiens, & potentia, seu accidentia medijs quibus causat, non faciunt, nisi vnicam causam constitutam ex principio *quo*, & *quod*, radicali, & proximo. Item sunt causæ partiales quando licèt in ratione causandi non sint eiusdem rationis: tamen vna producit vnam partem, aut quasi partem effectus, & altera alteram, quæ dicũtur partiales terminativè, seu ex parte effectus, vt si duo facerent mensam. Et vnus efficeret pedes, & alter tabulam, seu mensæ planitiem sub diversa ratione artis, & vnusquisque vniret quod facit: *Dixi & vnusquisque vniret quod facit*: nam si vnus faceret pedes, alius tabulam, & vnus tertius partes vniret, licèt illi duo primi, concurrerent ad materiale mensæ, vt est aggregatum; non tamen causarent formaliter ipsam mensam; sed solũ ille tertius, qui partes vniret, esset causa totalis mensæ formaliter effectiva, quia ad hoc, vt aliquis dicatur, & sit causa totalis alicuius effectus, sufficit, quòd vniat partes, quas habet, licèt partes ab alio producantur, vt patet in homine alium hominem generante, qui neque producit materiam primam, neque animam rationalem, quæ à Deo supponuntur productæ per creationem, solum vnit istas partes; & tamen est causa efficiens totalis vnivoca respectu illius. Materia, & forma dicuntur causæ partiales; non quia in suo genere nó causent totaliter: verè quidem totaliter causat materia ignis ipsum ignem in genere causæ materialis, & consequenter

ab-

absolutè potest dici effectus illius, sicut dicitur effectus ignis generantis in genere efficientis; etiam si neque causet materialiter, neque formaliter illũ: sed dicũtur partiales, præcisè quia sunt secundum suas entitates, partes compositi materialis: in quo differt doctrina hæc de materia, & forma ab ea quam tradidimus de causantibus mensam: nam materia, & forma in proprijs generibus sunt causæ totales, vt diximus; efficientes verò mensam non sunt totales in suo genere; hoc est in genere efficientis; siquidem neuter totaliter effectivè efficit mensam, vt patet.

62 Si autem causa fuerit instrumentalis, ex ea arguitur effectus maioris perfectionis: quia est causa improportionata cũ illo; solum enim proportionatur cùm huiusmodi effectu causâ principalis, vel vnivoca, vel æquivoca, &c. & licèt causa instrumentalis elevetur, & proportionetur à causa principali ad attingẽdum effectum ipsius causę principalis, non est, vt habeat tantam virtutem, quantam ipsa causa principalis, vt patet in Rege constituente Vice-Regem, vel alium Ministrum; quia nõ elevatur, vt sit causa principalis; sed vt sit causa inferior, & subordinata causæ principali, & sit medium, quo causa principalis causat suum effectum: & consequenter licèt instrumentũ contineat effectum virtualiter, non tamen virtualiter eminenter, sed virtualiter defficienter. Quod patet exemplo illorum, qui affirmant substãtiam immediatè elicere actionem, qua producat substantiam, non verò aliquo mediante instrumento; in hac inquam sententia, actio procedens à substantia continet substantiam producendam; alias non posset illam producere: sed non continet illam formaliter tantùm; alias actio esset eiusdem speciei cum illa: neque formaliter eminenter; alias *Scotistæ. Iesuitæ. Alij.*

esset

esset maioris perfectionis: neque virtualiter eminenter, propter eandem rationem, vt patet ex infra dicendis cap. 9. num. 67. ergo continet illam virtualiter defficiéter; & per hoc salvatur quod possit producere substantiam, effectú quidem perfectiorem se, nulla alia ratione, nisi quia propriè non est causa, sed medium, quo causa causat: ergo etiam dicendum est hoc de instrumentis, quæ rigorosæ causæ non sunt, sed media: Ex quibus etiam arguitur perfectio effectus secundum maiorem, vel minorem elevationem participatam à causa principali in ordine ad effectú illius.

## CAPVT VII.

*Quæ demonstrari valeant per causam finalem?*

63 QVid causa finalis sit, vide suprà cap. 3. num. 9. quotuplex autem, vide tùm Complutens. tum ibidem suprà cit. Ex ea igitur demonstrantur illa, quæ ordinantur ad finem, seu sunt propter ipsum, quare secundum naturam finis erunt ea, quæ ad ipsum ordinantur. Si finis est naturalis, quæ sunt naturaliter propter illum debent esse ordinis naturalis, & appetitus erit naturalis, seu innatus, si in illum tendat necessariò, & nulla supposita cognitione; si verò finalicet vt cognitus, movet appetitum præsupponẽtem cognitionem, & consequenter erit appetitus elicitus: si cognitio apræhendit in fine omnem rationem boni excludentem quamlibet rationem mali movet finis necessariò appetitum elicitum, vt Deus clare visus. Si verò apparet, & ratio mali, & ratio boni, retardat appetitum, & potest in ipsum non ferri, vt dum homini repræsentantur res creatæ, vt sunt in se, quia in eis perfectiones cum imperfectionibus inveniuntur. Si finis est cognitus per intellectum, movet appetitum dirigibilem per

per intellectum, vt est voluntas, quę dicitur appetitus rationalis; si autem cognoscatur per cognitionem sensitivam, non dicitur propriè finis, sed obiectum, vel terminus respectu appetitus, quem cognitio sensitiva dirigit, qui est appetitus sensitivus. Si finis est naturalis, & movet appetitum secundùm suam naturalem bonitatem, ea quę ordinantur ad finem debent esse, vt dixi, ordinis naturalis, sivè ordinentur per modum appetentis, vt *quod*, sivè vt *quo*. Sivè radicaliter, sivè proximè, sivè per modum principij, sivè per modum medij. Si finis est ordinis supernaturalis, quæ ordinantur ad finem, debent pertinere ad ordinem supernaturalem, vel entitativè, & formaliter, vt gratia, & charitas in Deum, vel solum per potentiam obedientialem, vt res elevabiles ad prædictum ordinem, sicuti se habet anima rationalis, intellectus, actus virtutũ naturalium, &c. Tamen ratio formalis proxima appetendi debet esse in eodem ordine formaliter, & entitativè, vel per modum potentiæ, vel per modum habitus, vt in esse naturali, voluntas, aut habitus naturalis dilectionis, humilitatis, &c. cum fine naturali; & in ordine supernaturali charitas Theologica, humilitas per se infusa, &c. cum fine supernaturali. Ratio est, quia si finis est supernaturalis, operatio illum immediatè attingens debet esse supernaturalis: sed operatio supernaturalis nequit elici immediatè à principio naturali; ergo si finis est supernaturalis, principium proximum, seu ratio formalis appetendi immediatè, & proximè debet esse formaliter, & entitativè supernaturalis. Maior probatur: quia operatio specificatur ab obiecto, & fine: ergo si obiectum, & finis est supernaturalis, operatio illum immediatè attingens debet esse supernaturalis. Minor constat, quia operatio debet præcontineri in principio imme-

mediatè elicitivo: sed operatio formaliter, & entitativè supernaturalis nequit præcontineri in principio naturali; ergo operatio supernaturalis nequit elici immediatè, & proximè à principio naturali. Et eadem ratio proportionabiliter applicata probat, quod si finis est naturalis, etiam principium immediatũ, seu ratio proxima operandi debet esse ordinis naturalis formaliter entitativè.

64 Sed licèt hoc ita sit, notandum tamen venit, quòd si finis naturaliter intenditur, id est secundum naturam ipsarum rerum, finis semper debet esse in illo ordine maioris perfectionis, quam illud quod est propter talem finem, quia natura semper ordinat imperfectius ad perfectius, & ex minus perfecto tendit in magis perfectum; esset quidem inordinatio, si perfectius ad imperfectius ordinaretur, & propter illud esset; quare si hoc esset iuxta naturam rerum hæc imperfectio, & de ordinatio in Authorem naturæ refunderetur: quo quid absurdius? Si autem finis intenditur per intentionem operantis, si non est deffectibile, vt Deus, semper res ordinat ad perfectius, & ideò propter se ipsum omnia operatur; sed si fuerit deffectibile, ex fine non infertur ea, quæ ordinantur ad finem, esse imperfectiora entitativè; quia potest perfectiora propter imperfectiora appetere; v.g. humana voluntas ieiunium propter vanamgloriam, vel aliquid propter æquale, vt recreationem propter recreationem: vel bonum propter aliquid perfectius, vt miserationem proximi propter Deum.

## CAPVT VIII.

***De collatione causarum inter se quoad modum argumentandi.***

65 Constat ex nostris Complut. lib. 2. Phisic. disp. 15. q. 2. & ex com- *Complut.*

Commun. Thomist.

communi doctrina Thomistarum, causas ad invicem esse causas in diverso genere causæ, ita vt omnia quatuor genera licèt non quoad esse, tamen quoad causalitatem, causant se ad invicem: & rationem assignant Complut. loco citato, quia generatio, quæ est omnium causarum velut causalitas (id est causalitas secūdum quid, nam hoc denotat, ly *velut causalitas*) ab omnibus causis pendet in diverso genere causæ, ita vt generatio, si non esset propter finem, non exiret ab efficienti, neque esset propter finem si non reciperetur in materia; neque in materia reciperetur, si non specificaretur à forma, &ècontra, ex quo manifestè infertur omnia genera causarum ad invicem esse causas quoad causalitatem secundum quid. Tria autem genera causarum, videlicèt, materialis, formalis, & finalis ad invicem sunt causæ quoad entitatem, quoniam materia dat formæ esse substentatum in ipsa. Forma verò communicat materiæ actualitatem requisitam ad existēdum; vtraque autem in suo genere pręstat entitatem cōposito, & denique sunt propter entitatem compositi, tanquam propter finem (quod, ni fallor, solum est ista tria genera esse ad invicem causas quoad existentiam, seu in ordine ad illam, quia neque materia causat essentiam formæ, neque forma rigorosè essentiam materiæ) cōmuniter explicatur prædictum axioma, *causa ad invicem sunt causa*, ita vt causę intrinsicę, id est materia, & forma ad invicem sint causę, & similiter causæ extrinsicæ, scilicèt efficiens, & finis; cum hac tamen differentia, quòd materia, & forma causant se quoad esse, modo supradicto. Efficiens est quidem causa finis quoad entitatem; quia efficiens causat entitatem compositi; finis verò est causa efficientis non quantum ad esse; sed quātum ad rationem causalitatis; quia efficiens, Est

Axioma.

agens in quantum agit, non autem agit, nisi causa finis, ita expressè Aristot. apud D.Thomam 5. Metaphis. lect.2.lit.C. *Aristot. S.Thom.*

Ex quo necessariò infertur quod causæ ad invicem sint effectus; alias nó possent ad invicem esse causæ; & consequenter quod ex vna possit alterius natura demonstrari à priori, vel quoad esse, vel quoad causalitatem iuxta explicationes traditas, attenta etiam vniuscuiusque causæ natura quantum ad modum arguendi, vt in proprijs locis dictum est.

## CAPVT IX.

### *De argumento ab effectibus.*

66 HIc modus demonstrandi, licèt non sit perfectior illo, quo per causam ad probandum effectum proceditur; est tamen nobis valdè consentaneus, non enim causas in se, neque naturas ipsas intuitivè inspicimus. Effectus nobis præcipuè apparent. *Et quia nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, vt commune fatur axioma, ideò magis congruit nobis per effectus causas investigare, qui ad sensum sæpius apparent, vel saltem illis sunt viciniores. Sed quia magna ex parte dictum est, quòd ad locum istum spectabat, vt apparebit, si vice versa quisque consideret, quòd de causis ad demonstrandos effectus tradidimus; siquidem proportionabiliter sicut per causam demonstratur effectus, ita per effectus demonstratur causa. Ideò assertionibus positis, cætera notatu digna ad præsens pertinentia ponderabuntur. *Axioma.*

67 Ex effectu igitur demonstratur à posteriori causa. Ex effectu materiali demonstratur ipsa causa materialis: ex effectu causæ formalis ipsa causa formalis; & sic de alijs. Si effectus est naturalis arguitur causa naturalis: si supernaturalis, sequitur causam esse supernaturalem, vel supernaturaliter ele-

vatam; vel saltem in causis materialibus exercere causalitatem circa formam supernaturalem per potētiam obedientialem, quam quælibet creatura habet ad Deum, vt Authorem supernaturalem, vt in illa imprimat, quòd voluerit. Ex effectu substātiali causa substantialis: ex accidentali accidentalis. Ex effectu producibili secundum rationem vniversalem, arguitur causa vniversalis: ex particulariter producibili, hoc est, secundum rationem particularem, infertur causa particularis: ex ratione, aut prædicato vniversali producto, arguitur causam causare secundum gradum vniversalem: ex particulari secundum particularem, v.g. hic ignis producit alium ignem, sicut enim ille ignis productus habet quod sit substantia, ita producitur ab hoc igne, vel reduplicativè, vt est substantia, vel saltem specificativè, & materialiter ab hoc igne, qui est substātia. Similiter ille ignis est corpus, & sic arguitur procedere ab hoc igne, vel vt est corpus, vel qui est corpus, iuxta suprà dicta cap. 3. num. 12. & cap. 6. num. 58. vbi extensius expressatur.

68 Nomine *effectus* intelligimus proprietates naturæ, operationes, & quod per se ex tali actione causatur: ideòque ex illo, quòd est productum per actionem, arguitur ab effectu actio: ex actione potētia proximè operativa, aut instrumentum actionis productivum: ex potentia arguitur natura. Ita vt ex termino actionis quoad substantiam, arguatur actio quoad substantiam: ex actione quoad substantiā potentia quoad substantiam, &c. Ex termino seu effectu quoad maiorem perfectionē accidentalem, aut modalem, arguitur actio quoad maiorem perfectionem accidentalem, aut modalem, &c. Vnde si perfectio, quę ex tali termino, aut actione colligitur, non invenitur in principio, cui nobis vi-

videtur tribuendum esse terminum, & actionem, neutiquam illi tribuatur effectus; sed inquiratur aliud per principia iam posita, & in præsenti ponenda.

69 Hæc enim perfectio effectus potest in causis diversimodè contineri, & inveniri, sicut diversimodè dicitur causa adhuc respectu eiusdem effectus. Primo, quidem potest inveniri effectus perfectio in aliqua causa, *formaliter tantum*, vt quandò entitas causę, & effectus sunt eiusdem speciei, vt ignis generans, & ignis genitus. Secundo, *formaliter eminenter*, & contingit quando prædicata, quæ necessariò prædicantur formaliter de effectu, prędicantur etiam formaliter de causa, & insuper de causa prædicantur aliæ perfectiones, quæ de effectu necessariò non dicuntur, vt equus respectu embryonis in sententia asserente, quòd priusquam equus producat equum, producit embryonem, qui habet vitam, qua

*Thomistæ, & alij.*

forma vitali, quasi disponitur materia, vt formam equi sensibilem, & perfectam possit recipere: in hoc inquam casu prædicatur de embryone, quòd sit formaliter vivens, essentialiterque: Et hoc etiam formaliter essentialiter prædicatur de equo, de quo etiam prædicatur formaliter essentialiter quod sit sensibilis, & quod sit talis sensibilis, scilicèt equus, quòd non prędicatur formaliter essentialiter de tali embryone; sed est perfectio per quam essentialiter excęditur. Tertiò, potest perfectio effectus inveniri in causa, *virtualiter eminenter*, & hoc contingit quando secundú quod est causa non habet entitatem eiusdem speciei cum effectu, neque est in causa aliquod prædicatum necessarium formale, quòd eodem modo prædicetur de effectu, vt effectus creatus substãtialis, & ens per se, vt equus, continetur in Deo. Si enim dum causam per effectus inquirimus, videmus,

mus; entitatem effectus habere in specie infima eandem perfectionem cū aliquo principio ex his, quæ ad effectum videntur concurrere, dicemus causam illius effectus esse vnivocam, vt patet in primo exemplo suprà posito. Si verò videmus, entitatem effectus non habere eandem in specie infima perfectionem cum principio aliquo, ad illum effectum concurrente; sed in aliquibus prædicatis essentialibus superioribus cum illo convenire formaliter; in alijs verò non; sed excedi essentialiter per illa, vt patet in secundo exemplo suprà posito, erit principium illud causa partim vnivoca, & partim æquivoca (licèt communiter æquivoca dicatur) vnivoca quidem ex ea parte, qua formaliter convenit cum effectu in aliqua ratione essentiali vnivoca; non verò analoga, hæc enim non sufficit, vt sit causa vnivoca, vt patet in Deo causante creaturas, quæ verè, & formaliter sunt entia, nec de hac ratione entis propriè, & rigorosè mentio fiat quoad præsens. Æquivoca autem dicitur ex ea parte, qua effectum essentialiter excedit. Sed si videmus, entitatem effectus non convenire vnivocè in aliquo prædicato cum principio, quòd nobis apparet per aliqua principia ad illum effectum concurrere; sed ab illo essentialiter excedi, vt patet in tertio exemplo hic posito, dicemus, causam illam esse simpliciter æquivocam: hoc autem intelligendū est, dummodò aliunde non constet, principium non posse communicare effectivè, & productivè entitatem effectus, licèt sint eiusdem speciei, vt anima rationalis hominis generantis, non est causa, nec ratio causandi entitatem animę rationalis hominis geniti; quia animæ rationales creantur à Deo, vt docent Theologi, & Philosophi saltem Catholici. *Theologi Philosop[hi]* Tùm quia animæ rationales, vtpotè spirituales, non pos-

*Thom.* sunt educi ex potentia materię, vt docet D. Thomas 1.p.quæst.90.art.6. siquidem in illa non sunt immersæ: tùm quia potentia destinata in homine ad communicādam naturam est corporea, & ideô experientia teste, est affixa organo corporeo, id est parti determinatæ corporis: sed repugnat, quòd entitas spiritualis naturaliter profluat immediatè effectivè à principio formaliter corporeo: ergo repugnat, animam fieri per generationem ab homine quantum ad entitatem; sed solum quoad vnionem; id est quod ab homine vniatur materiæ, quæ quidem vnio est corporea, vt docent nostri *Complut.* Complut. lib. 1. Phisic. disput. 6. quæst. 3. num. 20. quia fit per potentiam generativam corpoream, quare solum fit per creationem. In causa autem instrumentali quomodo entitas effectus posit contineri, iam suprà diximus cap. 6. num. 62. Ex quo, & ex suprà dictis patet quomodo ex effectu causa instrumentalis inferatur.

70 Sed adhuc restat inquirendū quomodo cognoscere valebimus, quando entitas effectus est eiusdem perfectionis cum entitate causæ; quando verò maioris, aut minoris? Hoc igitur cognoscendum est per proprietates, & operationes vnius cuiusque: & per principia capitibus sequentibus explicanda, de quibus ibi. Quando enim videmus, effectum habere omnes operationes eiusdem speciei infimę cum omnibus operationibus causæ, colligitur certè habere easdem proprietates in specie infima cum sua causa: & ex his infertur, habere eandem entitatem, & naturam cum suo principio, seu causa in specie infima, vt patet in equo genito, & generante. Operationem autem esse eiusdem speciei infimæ, vel cognoscitur in ipsis operationibus, vt currere, hinnire: vel per effectus productos, vt equus generat equum, & alius equus

equus similiter, &c. Quando autem videmus, effectum habere non solum operationem eiusdem speciei infimæ cum principio, sed etiam alias diversas in specie, quas non habet principium, colligitur, illud principium habere entitatem eiusdem rationis, & naturæ secundum aliquem gradū, vel aliquos, & diversæ rationis, & naturæ secundum alium, vel alios gradus. Et quando operationes, in quibus cōveniunt, pluribus speciebus conveniunt, quam illæ in quibus differunt, infertur convenire in gradu superiori, & differre in inferiori magis, aut minus secundùm maiorem, vel minorem extensionem operationum ad diversas naturas, vt patet in secundo exemplo num. præced. posito. Hoc insuper potest aliter philosophari, videlicèt, quando operationes effectus differunt specie infima, aut subalterna ab operationibus principij; conveniunt verò in aliqua ratione generica superiori intra eundem ordinem naturalem, scilicèt, vel supernaturalem, vt in operationibus equi, & Solis videtur, quæ sunt in eodem ordine naturali, & radicantur in proprijs naturis illorum substantialibus; vbi, quia istę operationes conveniunt in ratione operationis naturalis, debent illarum principia formalia, scilicèt, potentiæ, convenire in ratione potentię naturalis, & principia radicalia, scilicèt, Sol, & equus debent convenire in ratione substantiæ naturalis. Et quia Solis, & equi operationes sunt corporeæ, siquidem sunt extensæ à quantitate, & procedunt à causis extensis, & producunt res corporeas, debent illorum potentiæ esse corporeæ, & equus, & Sol in ratione, corporis convenire. Et quia prædicta operatio Solis non est generativa cōpositi eiusdem speciei; operatio verò equi est generativa hoc modo; siquidem Sol non generat Solem; equus verò generat equum (de his

enim operationibus exempli gratia loquimur) ideò potentiæ non debent convenire in ratione potentię generativæ cõmuniter dictę, id est, generativę compositi eiusdem speciei; & consequenter neque Sol, & equus in ratione generabilis; siquidem ad hunc gradum habendum requiritur radicare potentiam generativam cõpositi eiusdem speciei, vt docent Complut. in logic. disp. 6. quæst. 6. Ex qua doctrina Complutens. sequitur gradum *generabile*, positum in prædicamento substantiæ, sumi activè pro substantia potente producere sibi simile; non verò passivè pro substantia potente produci à sibi simili. Et differentia constitutiva talis gradus, vt est *alterabile*, etiam sumenda est activè, sicut & ipsum constitutum; si autem aliquis conetur affirmare prædictum gradum *generabile*, debere sumi passivè, pro substantia potente produci à sibi simili: discurrendum est, quòd quia operatio Solis non procedit à potentia radicata in substantia potente produci à sibi simili; secùs verò operatio equi; ideò prædicti Sol, & equus non conveniunt in ratione generabilis; in quo sensu etiam differentia constitutiva, scilicèt, *alterabile*, sumenda est passivè. Hic autem discursus magis apertè constat in Angelo, & equo, nam operatio Angeli est operatio naturalis, & similiter operatio equi: ergo illorum potentiæ conveniunt in ratione potentiæ naturalis, & illorum naturæ in ratione substantię naturalis: & quia operatio Angeli non est corporea; operatio verò equi corporea est, ideò potentia Angeli non est corporea, nec Angelus est corpus; potentia verò equi erit corporea, & equus erit corpus, & consequenter non conveniunt in hoc gradu, neque in inferioribus.

*Complut.*

71 Sed contra primum exemplum occurrit revera non solutum mihi

argumentum ad probandum, Solem essentialiter, & simpliciter convenire in ratione generabilis, & procedit sic: Sol simpliciter habet potentiam ad generandum res diversæ speciei: sed hoc non habet quatenus substãtia, neque quatenus corpus, neque quatenus mixtum, neque secundum alias infimas rationes: ergo quatenus generabile simpliciter; consequentia patet, quia non alio modo probatur aliquid convenire simpliciter in aliquo gradu prædicamenti substantiæ. Maior probatur, quia simpliciter concurrit principaliter ad generationes substantiarum sublunarium. Minor probatur, quia simpliciter generare nõ convenit Angelis, corpus verò solum dicit esse principium motus localis, & quantitatis: neque Solis mixtis, quia ignis generat, & non est mixtum; sed elementum. Ex probatione minoris occasionem sumpsi, vt magis ostenderem magnam prædicti argumenti difficultatem, & sic iterum argumentor: nam lignum, & pilus, v.g. à capite abscissus, sunt mixta; tùm quia sunt corpora sublunaria, & non elementa. Tùm quia habent qualitates cõtrarias: ergo essentialiter sunt generabilia, sicut homo essentialiter est animal; siquidem *generabile* est gradus superior ad *mixtum*, sicut animal ad hominem, vt patet ex arbore prædicamentali substantię posito à nostris Complut. in logic. disp. 6. quæst. 6. citata; & tamen lignum, & pilus non generant sibi simile in specie infima, vt patet (licèt admittamus posse res alterius speciei generare:) ergo non est de ratione *generabilis*, sibi simile in specie generare infima: igitur licèt Sol, & alia corpora cœlestia non generent sibi simile in specie infima, si tamen generant, vt verum est, alia diversæ speciei, erunt essentialiter generabilia; quare si Complut. inquiunt, ideò Petrum esse generabile, quia

*Complut.*

quia generat sibi simile in specie, intelligendum erit de specie subalterna, nam licèt in specie infima sibi simile producat, rectè ex hoc verificatur intentum; siquidem etiam cōveniunt in specie subalterna. Item si communiter dicitur, Solem, & corpora cœlestia non esse generabilia intelligendum erit pasivè.

72 Nec evades prædictum argumētum, etiam si deffendas, *generabile* sumendum esse pasivè: Primo, quia hoc est falsum; siquidem gradus prædicamenti substantiæ investigantur per aliqua accidentia radicata in illis, quibus cōvertibiliter conveniunt: sed generabile pasivè, vt talè, non radicat aliqua accidentia: ergo falsum est, posse consistere in *generabile*, pasivè. Maior constat ex Complutens. loco citato, & ex D. Thoma opusc. 42. cap. 18. vbi ideò probat genus *animalis* esse distinctum à genere superiori *viuentis*, quia in *animali*, *super operationes vegetabiles, quæ sunt generare, nutriri, & augmentari, reperitur actio quædam super addita, scilicèt sentire*, verba sunt D. Thomę. Minor probatur, quia generabile pasivè solum dicit meram capacitatem, vt generetur, non verò explicat aliquā activitatem. Secundo, nam etiam adhuc dicendum erit, Solem esse essentialiter generabilem, & probo sic: Per te illud est essentialiter generabile, vt pertinet ad hunc gradum, quòd habet capacitatem, vt generetur: sed Sol habet hanc capacitatem: ergo, &c. Minor probatur, nam Sol est numero multiplicabilis, id est, plures Soles eiusdem speciei esse possunt, vt docent communiter D. Thomæ Discipuli, & alij plures: ergo potest Deus destruere formam huius Solis numero nunc existentis, & introducere aliam formam Solis in hac materia, quæ quidem introductio esset generatio, quia est ex præsuposita materia in duratione aliqua reali privata

*Complut.* *S. Thom.*

*Comm. Thomist. Alij.*

tali forma: & consequenter per veram fieret transmutationem materiæ potentis illam formam recipere, vtpotè eiusdem speciei cum præexistenti: & idem dicendum est de hoc Sole; nam possett Deus materiam producere sub forma alterius numero Solis, & postea introducere formam huius, illius formam expellendo: ergo, &c.

73 Confirmatur quia quod aliquid de facto creetur, non tollit quod sit generabile, si ipsum alias posset generari, vt patet si homo crearetur. Nec obest, si dicas, hoc esse per accidens; nam quod alicui convenit essentialiter, nequit alteri per accidens convenire: ergo si est de essentia huius gradus posse generari, nequit Soli per accidens convenire; maximè quia posse à Deo generari non est per accidens, sed per se.

74 Neque obest, si iterum dicas, talem gradum essentialiter constitui per posse generari à causa creata.

75 Sed contra: nam hoc est ad essentiam rei maximè extrinsecum, sicut ad essentiam hominis quod posit generari, creari, & resurgi. Adhucque falsitatis convincitur: nam sunt animalia ita imperfecta, vt ab alijs animalibus non generentur; sed ex putrefactione terræ virtute Astrorum, vt instrumēta quidem cōcurrentium, quorum productionem solus Deus principaliter attingit, vt supra dixi, & tamen sunt generabilia, vt patet.

76 In oppositum autem sunt primo communis modus loquendi; siquidem communiter dicitur, corpora cœlestia non esse generabilia. Secundo, quod *generabile*, & *corpus*, essent gradus æquè vniversales: sed oppositum constat ex arbore prędicamētali substantię, vbi generabile cōtrahit rationem corporis. Sequela probatur: quia corpus non se extendit magis, quam ad mixta, ad ele-

elementa, & corpora cœlestia, vt patet; sed ad ista etiam extenderetur *generabile*: ergo, &c. Minor probatur: quia mixtum continetur immediatè sub generabile; ergo ad illud extenderetur. *Elementum* similiter est corpus alterabile, & insuper potest generare. Denique omnia corpora cœlestia concurrunt effectivè principaliter, saltem ad aliquas generationes, vt adhuc de Cœlo Empyreo docet D. Thomas 1.part.quæst.66. art.3. ad 2. & quodlibeto 6. art.19.& sequuntur eius Discipuli, & nostri Complut.de Cœlo, disp.5. q.4. ergo generabile ad omnia se extenderet, ad quæ gradus corporis. Tertio, nam S. Thom. opusc.42. cap. 14. optimam tribuit differentiam inter corpus, & generabile, dicens: *Corpus verò cœleste cum corporibus generabilibus differt, cum non conveniant in materia*; & licèt D. Thomas loquatur de differentia in genere phisico, id est, in primo subiecto receptivo formarum; tamen sic potest ratio formari: Nam illa, quę habent diversam materiam essentialiter, petunt diversas formas essentialiter, quia diversa essentialiter potentia petit diversos essentialiter actus: sed corpora sublunaria habēt diversam essentialiter materiam, ac corpora cœlestia: ergo, &c. Ex quibus infertur, composita ex talibus formis, & materijs esse essentialiter diversa: & consequenter, sublunaria radicare potentias generativas refrangibiles, & operantes cum dispendio suæ perfectionis, &c. Et cum huiusmodi essentialis differentia non sit in ratione corporis; siquidem cœlestia sunt corpora. Neque in ratione mixti, quia elementa sunt sublunaria, & non sunt mixta, sequitur quod sit in ratione generabilis. Et licèt his videatur, posse responderi ad opposita; non tamen solvunt difficultatem, sicut non tollunt corpora cœlestia posse generare alia, & ipsa à Deo genera-

*S. Thom.* *Thomistæ.* *Complut.* *S. Thom.*

ti, vt suprà dixi: Quapropter ego in hac parte cum pluribus loquor. Quid autem re verum sit? Cogita tecum, & meditare; sentiendum tamen moneo cum nostris Complutens. vbi suprà.

77 Desideratur denique ad huius rei perfectam notitiam quādo cognoscemus, aliquem effectum procedere à causa vnivoca, quando verò ab æquivoca, vel à solo Deo? nam licèt detur aliqua causa eiusdem speciei infimæ cum effectu, vel aliqua maioris perfectionis, possunt esse ita distantes, vel impeditæ, vt illis nequeat productio effectus attribui. Item si Deus concurrit, & est causa potens ad omnes effectus producendos, cur Deus solus non producet illos, etiamsi alię adsint causæ à quibus procedere possint? Respondetur igitur, Deum rerum naturas creasse, & illas disposuisse, vt possint alios effectus producere, iuxta illarum inclinationes, & virtutes operativas, illosque producant, vt ordo in ipsis à Deo ipso impositus servetur: quę quidem causæ prædicto ordine, eò tendunt, vt vniversum cōservent, aliæ vt causæ vniversales, aliæ vt particulares; quare intendunt magnopere, quantum possibile est, sibi effectus assimilare, vel in totum, vel in partem. Vnde ad quærendum causam alicuius effectus, debemus inquirere, quòd nam sit simile illi in natura: quòd fiet per principia tradita, & tradenda. Si enim invenimus, aliquid eiusdem speciei cum effectu, debemus diligenter inquirere, vtrum habeat cōditiones ad operandum necessarias, videlicèt, sufficientes virtutes operativas, sufficientem propinquitatem, & existentiam. Si enim non habuerit huiusmodi conditiones, non erit causa talis effectus, quamtumvis illi similis. Si verò illas habeat, illi præcipuè tribuendus est effectus, quæ fuerit eiusdem speciei infimæ, siquidem habet maiorem similitudinem,

nem, quæ quidem intenditur per se à natura, vt diximus: quare non est cur ad alias causas eiusdem speciei infimę inquirendas divertamus, eò quod, saltem naturaliter loquendo, idem effectus à duabus huiusmodi causis procedere nequit totaliter (partialiter quidem est potens illum producere, vt vnus ignis à duobus ignibus.) Et cum aliunde possit iste effectus ab alijs causis æquivocis, & vniversalibus procedere, videatur, vtrum habeant aliquam similitudinem cum effectu, & proportionem cum excessu aliquo, saltem quoad extensionẽ ad alias species effectuum, & vniversalitatem in ratione formali attingendi effectus, ex qua vniversalitas causæ desumitur. Videantur etiam alia tradita supra, loquendo de causa æquivoca, nam huius generis erit talis causa. Vna tamen causa huiusmodi inventa, non debent aliæ excludi, quia idem effectus potest à pluribus causis vniversalibus, & æquivocis procedere, dummodo duæ non sint eiusdem speciei infimæ; alias idem effectus procederet à duabus causis totalibus, & eiusdem ordinis. Deus, quia est omnium effectuũ causa efficiens, & finalis, ideò non est inquirendum, vtrum Deus concurrat? adhoc enim habet omnia requisita, dummodo effectus nullam deformitatem includat: concurrit tamen sub ratione vniversalissima entis, vt ratio *sub qua* attingendi; non quidem sub ratione entis pręscindentis à creato, & increato; alias posset se ipsum producere, saltem ex parte virtutis: siquidem causa potest producere quidquid continetur sub sua ratione formali *sub qua* attingendi: sed Deus continetur sub ratione entis præscindentis à creato, & increato: ergo, &c. Tùm etiam, quia ratio attingendi effectum debet contineri in causa secundum rationem formalissimam, qua causat: sed

sed Deus non causat, vt ens præscindens à creato, & increato: siquidem Deus, vt dicit virtutem toti Trinitati cõmunem, non producit res increatas; sed creatas tantum: ergo, &c. Quare solum potest attingere sub ratione entis producibilis secundum quod ipse Deus præscindit à ratione creãtis, & generantis, seu cum creaturis concurrentis: nam Deus vt est creator attingit effectus sub ratione entis ex nihilo producibilis: & vt cõcurrit cum causis creatis, quæ semper producunt effectũ ex præsupposito subiecto, attingit Deus effectum sub ratione entis, vt producibilis ex præsupposito subiecto, & sic rectè possunt creaturæ concurrere instrumentaliter ad prędictum effectum Dei; secus verò vt attingit effectum sub ratione entis ex nihilo producibilis; & consequenter nequit creatura aliqua concurrere instrumentaliter ad creandũ, vt docet S. Thomas 1. p. quæst. 45. art. 5. in corpore, & ratio est, quam paulò ante tradidimus. Sed videatur ibi S. Thomas. Vt materia autem, aut forma intrinseca nequit Deus ad effectus creatos concurrere; siquidem repugnat, Deum actuari, & perfici à creatura, aut illi subijci, quòd est officium causæ materialis respectu illius, respectu cuius se habet vt causa: sicut etiam repugnat Deum habere esse receptum in creatura, quòd quidem habet causa formalis intrinseca: & ratio est, quia omne receptum est limitatum. Quando autem non invenitur causa creata, cui effectus possit attribui, Deo soli tribuatur. Si verò inveniantur causæ creatæ, sed non eiusdem speciei infimæ cum effectu, tribuatur effectus æquivocis, & vniversalibus, quæ si aliquam, vel aliquas formalitates non potuerint propter regulas traditas, illius effectus attingere, Deo tribuendas esse nõ dubites; alias concederes creaturam aliquã sine

S. Thom.

sine principio fore. Hic egimus præcipuè de causis, & effectibus in genere efficientis; sed idem cum proportione dicendum est in reliquis causarum generibus cum proportione, servatis regulis in proprijs locis stabilitis.

## CAPVT X.

### *De argumento, seu loco ab oppositis.*

78 AD huius loci, seù argumenti explicationem notãdum est ex Aristot.in post prædict. cap.de oppositis, opposita esse in quadruplici differentia. Alia sunt relativa, vt duplum, & dimidium: Pater,& filius. Alia contraria, vt bonum, & malum: calor,& frigus. Alia privativa, vt visus, & cœcitas: lux,& tenebræ.Alia sunt contradictoria, vt sedet, & non sedet: esse, & non esse. Ab aliquibus solent etiam appellari *opposita* ea, quæ realiter distinguuntur, vel disparatè se habent, aut in eodem subiecto sunt in compossibilia sine aliqua ex supra dictis oppositionibus, vt Petrus, & Paulus: Equus, & Leo; sed ista impropriè dicuntur opposita, nisi reducantur ad aliquam ex supradictis quatuor oppositionibus: quare de illis non agimus in præsenti; nam si fortè ex his potest sumi aliquod argumẽtum ad aliud hoc modo oppositum, est in quantum aliquo modo reducitur ad aliquem locum ex tractatis,& tractandis.Quo supposito, & remmisso lectore ad prædictum caput Arist.& ad illius interpretes si aliquid desideratur, sequentia traduntur principia.

*Aristot.*

*Aliqui Auctor.*

79 Dico, quòd ex vno opposito arguuntur in alio opposito prædicata opposita, orta tamen ex illa ratione,in qua, aut ratione cuius opponuntur. Nam opposita possunt secundum plures rationes non opponi; immo convenientiam vnivocam habere, vt patet in calore, & frigore, quæ quidem vni-

vocè

vocè conveniunt in ratione qualitatis, & in ratione passionis, & passibilis qualitatis, secundum quas rationes similia prædicata ex vno ad aliud inferuntur. Vnde quádo dicimus, *opposita* nolumus excludere omnem cóvenientiam; nisi contradictoriè opponantur, eo quod inter cótradictoriè opposita nullum cadit medium. Opposita verò privativè, licèt habeant convenientiam; non tamen vnivocam; sed analogam: non vnivocam quia forma, & privatio formæ non habent eandem naturam. Analogam verò: Tùm analogia proportionis, quia privatio pendet essentialiter, in cognosci, & specificari, à forma, qua privat. Tùm proportionalitatis, nam sicut forma se habet ad subiectum, illud constituendo positivè, ita proportionabiliter privatio illud constituendo privativè. Assertio igitur probatur ratione, quia opposita habent oppositas naturas secundùm illam rationem, secundùm quam opponuntur: ergo si de vno opposito verificantur aliqua prædicata essentialia, debent de altero oppositorum opposita prædicata essentialia verificari secundum illud genus, in quo opponuntur. Et cum ad oppositas naturas sequátur proprietates oppositæ, sequitur, quòd si de vno verificantur aliquæ proprietates, de altero verificéntur oppositæ. Quod etiam in particulari manifestatur exemplis. In primis, vt diximus, datur oppositio relativa inter patrem, & filium ratione paternitatis, & filiationis, quę sunt rationes se opponendi, sivè ex parte termini, seu correlativi sumatur paternitas, & filiatio intrinsicè, & secundum propriam entitatem; sivè extrinsicè secundum denominationem extrinsecam provenientem à relatione existente in fundamento, vt supra diximus num. 25. & 26. eo, quòd quælibet relatio est essentialiter oppositio relativa inter ex-

extrema diversa, id est, inter fundamentum, & terminum: ergo essentialiter talia extrema constituit relativa: atqui solum potest constituere, & denominare intrinsecè relativum fundamẽtum, in quo intrinsecè recipitur: ergo terminum solum denominat extrinsecè relativum, seu correlativũ. Istæ enim rationes opponendi, scilicèt paternitas, & filiatio non opponuntur in ratione relationis; siquidem in hac ratione vnivocè conveniunt: & consequenter, neque hoc modo opponuntur pater, & filius; sed opponũtur in talitatibus, quæ oppositio stat in hoc, quòd si paternitas est ratio respiciendi filium: filiatio terminativè sumpta, seu extrinsecæ accepta, est ratio respecti esse, seu terminandi; &ècontra: & consequenter, quòd si pater respicit filium; filius respiciatur â patre, & ècõtra. Nam *si correlativum terminare relationem fundamenti*, cõsisteret in hoc, quod media aliqua relatione intrinseca respiceret fundamentum, sequeretur, quòd omnis relatio esset mutua: siquidem sicut fundamentum respicit terminum media intrinseca relatione fundamenti, ita terminus terminaret alia relatione intrinseca in ipso. Relatione verò extrinseca terminare non est *respicere*; sed *respici*, si propriè, & in rigore loquamur: quia *respicere* est tendere in terminum: & *respici* est terminare respectum fundamenti. Quapropter de ratione termini est *respici*; de ratione verò fundamẽti *respicere*. Insuper si pater habet totum suum esse ad filium: Filius habeat, vt terminus, totum suum esse ad patrem, & ècontra. Nam prout terminus alterius, non est fundamẽtum propriæ relationis. Maior difficultas est circa relativa similitudinis in specie infima, vt vnum album respicit aliud album, vt similia sunt, eo quod etiam hac ratione vnivocè conveniant; sed hoc revera nihil

est;

est; siquidem per hoc non tollitur oppositio relativa, videlicèt, quòd si vnum respicit, aliud respicitur; & èccontra, & in hoc stat diversa relativorum natura, & proprietates oppositæ. In propria autem sententia de termino formali relationis, quam suprà explicavi, solùm datur convenientia analoga, vt dixi, inter relativè opposita, quia denominatum intrinsicè, & extrinsicè, nequeunt vnivocè convenire. Vide suprà num.25. & 26. Secundò, patet in contrarijs, v.g. in calore, & frigore, nam si aliquid est proprium caloris, vt calefacere; oppositum cõtrariè erit proprium frigoris, vt frige facere. Similiter si aliquid non est proprium caloris, vt formaliter dealbare, neque oppositum contrariè erit proprium frigoris, vt formaliter denigrare. Similiter si vnum contrarium est in hoc subiecto; aliud non erit actualiter in eodem subiecto, saltem in gradibus intensis; *siquidem ab eodem subiecto mutuò se expellunt*, & similiter est de alijs prædicatis, sive convenientibus simpliciter; sivè secundùm quid: nam eodem modo, quo aliquid vni convenit, convenit cõtrarium alteri, ideòque dicitur: *Contrariorum eadem est disciplina, seu ratio*; *Axioma.* non quidem identicè; sed contrariè. Tertiò, apparet in privativè oppositis, vt visus, & cœcitas. Si enim de visu verificatur positivè aliquod prædicatum, vt tendere positivè invisibile; de cœcitate verificatur prædicatum oppositum privativè, vt quod sit privatio talis tendentiæ, vel quod radicat illam: nam quod prædicatur essentialiter de forma positivè; prædicatur essentialiter privativè de privatione: & quod de forma verificatur per modũ proprietatis positivæ, verificatur de privatione per modum proprietatis privativæ, &c. Denique id ipsum dicendum est de contradictorijs: quidquid enim verificatur de Petro, ve-

verificatur contradictoriè de non esse Petri, vt si de Petro verificatur essentialiter quod sit homo, *de non esse Petri* verificatur essentialiter, quod *sit non esse hominis, id est non homo*, excluso sensu infinitante, id est non intellecto, ly *non homo*, vt terminus infinitans. Si de Petro verificatur accidentaliter necessariò quod sit risibilis, *de non esse Petri* verificatur accidentaliter necessariò, quòd *sit non esse risibilis, seu non risibile.* Si de Petro verificatur accidentaliter contingenter, quòd sit albus; de *non esse* Petri verificatur accidentaliter contingenter, quòd sit *non esse albi*, vel *non album*. Similiter de alijs prędicatis cōuenientibus simpliciter, vel secundū quid: nam cum eadem proportione, quæ dicuntur de vno, dicuntur contradictoriè de alio.

## CAPVT XI.

### *De argumento, seu loco à similibus.*

80 TAm in rebus eiusdē generis, quàm diversorum generum invenitur similitudo, vt docet Arist. lib. 1. Topic. cap. 17. & illustrat exemplis. In eodem genere, vt inter hominem, & equum, qui sunt similes essentialiter in genere substantiæ, corporis, generabilis, mixti, viventis, & animalis. *Nam quatenus in aliquibus idem quidpiam in est, eatenus sunt similia*, vt idem Arist. ibidem docet: sed in sunt homini, & equo prædicta prædicata substātialia: ergo in his prædicatis substantialibus sunt similes. Vnde potest sic argumentari à simili: *Homo, quia est viuens habet necessariò potentias vitales: sed equus est similis homini in ratione viuentis*: ergo *equus similiter habet potentias vitales.* Et eodem modo arguitur si sunt similes accidentaliter,

Aristot.

ter, *vt homo, quia est albus disgregat visum: sed equus est similis homini in hoc, quòd est esse album*: ergò *similiter equus disgregat visum*. In diversis generibus sunt aliqua similia, vt sciẽtia, & sensus: nam sicut se habet scientia ad scibile illud attingendo, & ab illo sumendo speciem, ita sensus ad sensibile; siquidem illud respicit, & attingit, & ab illo sumit speciem. Hæc autẽ similitudo proportionalis potest inveniri inter res diversorum prædicamentorum, vt inter quantitatem, & qualitatem respectivè ad substantiam, quam proportionabiliter respiciunt: & ideò arguitur sic: *Quantitas ita respicit substantiam proportionabiliter, ac qualitas: ergo sicut quantitas illam respicit extendendo; ita proportionabiliter qualitas illam modificando, & ordinando*. Advertendum tamen est quod eo modo, quo in simili invenitur similitudo, infertur illi convenire prædicata sui similis; si essentialiter sunt similia, quæ prædicantur essentialiter de vno, prædicari debent essentialiter de alio. Si accidentaliter sunt similia, prædicata orta ex hac similitudine, debent similiter convenire accidentaliter vni, & alteri. Si simpliciter similia sunt, debent similiter simpliciter convenire in prædicatis. Si secundùm quid cõveniunt, secundùm quid eodem modo prædicantur. Si in vno invenitur natura simpliciter; in alio verò secundũ quid, & per participationem ab alio; de illo vno, in quo natura est simpliciter, prædicantur simpliciter prædicata, quę simpliciter cõveniunt naturæ; de illo verò in quo invenitur secundùm quid, & per participationem ab alio, dicuntur prædicata convenientia naturæ simpliciter, solum secundûm quid, & per participationem ab alio. Per similes causas demonstrãtur similes effectus: & per similes effectus, similes inferuntur causæ in eodem genere causæ. Insuper per si-

similes naturas demonstrā-tur similes potentiæ: per similes potentias, similes operationes: per similes operationes, similes termini; & èContra per similes terminos similes demonstrantur operationes: per similes operationes, similes potētiæ,&c. Sed hoc demonstratur (in quam) vel simpliciter, vel secundum quid, secundùm tantitatem similitudinis.

81 Prædictum argumentum *à simili*, quòd communiter dicitur *à paritate*, nunquam est rectum, nisi sumatur ex ipsa ratione formali, in qua assimilantur, v.g. *Homo, & equus sunt similes in natura: sed homo est discursivus: ergo similiter equus*: non valet, quia sunt similes in ratione animalis, & in gradibus superioribus ad animal, ex quibus non oritur, quòd homo sit discursivus; sed oritur ex prædicato *rationalis*, in quo dissimiles sunt homo, & equus.

## CAPVT XII.

### *De argumento à nomine.*

82 ARgumētum istud *à nomine* est valdè contingens, sicque neutiquam deservit ad demonstrandum, quòd eleganter denotavit Cicero in Verrem, dicens: *Non mirum est, furtum fuisse factum à Verre; quia à Verrendo dicitur Verres.* Vbi non dixit, *necessum est furtum fuisse factum à Verre: quia à verrendo dicitur Verres*; sed dixit, *non mirum est*, ac si diceret: *Valdè contingens est, vt qui Verres appellatur, furetur; poterat enim homo iustissimus Verres appellari; sed quia valdè contingens, non est mirum eveniat, ideò non est mirum furtum fuisse factum à Verre*: & hoc casu verè illi convenit nomen Verres à Verrendo, quia furatur. Notandum tamen, quòd in Philosophia, & Theologia non rarō vtimur ex denominatione ad inqui- *Cicero.* *Philosophi Theologi.*

ren-

rendum formam, ex denominatione intrinseca ad formam intrinsecam, ex extrinseca verò ad formam extrinsecam. Vbi arguitur legitimè, & benè; sed propriè non est argumentum à nomine; sed ab effectu causæ formalis, per quem legitimè, & benè causa formalis demonstratur: nam quando dicitur *denominatio intrinseca, aut extrinseca*, non intelligimus ipsa nomina, sed res significatas per illa, id est formas communicatas subiecto, vel intrinsicè, vel extrinsicè. Notandum denique, quòd descriptio aliquorum tractatuum, aut librorum, &c. non semper sumitur ab obiecto illorum proprio; sed vel ab illo, vel ab aliqua proprietate, vel effectu, vel ab aliqua re commitanti, quare ex tali descriptione nunquam necessariò probatur obiectum specificativum; sed solum contingenter, vt quando ex inscriptione librorum de generatione, & corruptione, arguitur contingẽter horum librorum obiectum proprium esse generationem, & corruptionem; siquidem circa hoc probabiles sunt opiniones, & nostra negativa verior. Vide Complutens. lib. 1. de generatione, disp. 1. quæst. 1. *Complut.*

## CAPVT XIII.

### *De argumento à deffinitione.*

83 QVid, & quotuplex sit deffinitio? Videantur Auctores in lib. Summularum, & apud nostros Complut. in præambulis modi sciendi. Hìc autem cum de modo ex illa arguendi loquamur, parùm est immorandum, eò, quòd ex deffinitione solùm venimus in cognitionem deffiniti, vt *est animal rationale: ergo est homo*. Et similiter venimus in cognitionem illorum, quæ sub deffinito continentur, vt Petrus, & Paulus cõtinentur sub homine. Hìc modus argumentandi valet tàm affirmativè, quàm negativè, *Dialectici* *Complut.*

*vt est animal rationale, ergo est homo: non est animal rationale: ergo non est homo.* Qui modus non est demonstratibus: quia deffinitio, neque est causa, neque effectus deffiniti; sed dum per deffinitionē probatur deffinitum, probatur vtique idem per se ipsum diversimodè significatum, quia hoc modo sunt idem deffinitio primò intentionaliter sumpta, & deffinitum. Quapropter quando ex deffinitione primò intentionaliter sumpta, & essentiali alicuius naturæ inferimus illius naturæ proprietates, non est argumentum à deffinitione; sed à causa ad effectum, de quo plura suprà remanent dicta.

## CAPVT XIV.

*De argumento, seù loco à divisione.*

Complut. 84 NOstri Complutenses in præambulis modi sciendi cap. de divisione docent quid, & quotuplex sit divisio, quòd videatur omninò: insuperque inquiunt, quomodo ex diviso ad membra dividentia, & ècontra, sumatur argumentum; sed quia ibi regulæ, si generaliter intelligantur, defficiunt, & quidquid ad hanc materiam desideratur, ibi non affertur, ideô hìc quātà potuero brevitate, & claritate quod ad hoc argumentandi genus pertinet, tradam, & quod ibi dicitur, iuxta hìc dicenda, intelligatur. Igitur ex diviso actuali ad membra dividentia actualia phisica, aut metaphisica simul sumpta, & vnita, & ècontra, est bonum argumentū, tàm affirmativè, quàm negativè, *vt est homo: ergo est materia prima, & anima rationalis, simul sumptæ, & vnita. Est homo: ergo est animal, & rationale simul sumpta, & suo modo vnita:* Quod etiam valet ex membris huiusmodi dividentibus simul sumptis, & vnitis ad divisum: quia totum nihil aliud est, quam suæ partes simul sumptæ, & vnitæ, & ècontra. Quare

argumentum non est demonstrativum, vt in fine capitis præcedentis observavimus. Ex diviso actuali phisico, aut metaphisico ad quodlibet membrum dividens solitariè, sumptũ, aut ècontra, nõ est rectum argumentũ, tàm affirmativè, quã negativè, vt *est homo: ergo est materia prima*; aut ècontra: quia neque homo est materia prima, neque materia prima est homo. Similiter negativa nõ valet, vt *non est materia prima: ergo non est homo*; & ècontra: quia vt diximus, homo non est materia prima, & consequenter potest esse homo, quin sit materia prima. Idem dicendum est, si totum metaphisicum cõparetur suis partibus metaphisicis, vt explicant rationem partium: quia ipsæ sine hac explicatione sunt simpliciter tota; & solùm secundum quid partes, vt observant nostri Complut. in logic. disp. 5. quæst. 3. Vbi etiam observant, istas partes magis dici logicas, quàm metaphisicas, eò, quòd solùm dividunt totum logicè, & consequenter totum est dicendum simpliciter logicum; sed quia vsus obtinuit, vt partes metaphisicæ dicantúr, ideò cum pluribus loquũtur. Et nostri asserti ratio est; quia neque pars est totum, neque totum est pars. Videatur infra in hoc capite.

Complut. | Com. vsus

85 Ex diviso potentiali (vt animal respectu rationalis, & irrationalis: & ens respectu substantiæ, & accidentis) ad omnia membra dividentia valet argumentum, seù consequentia, si procedatur affirmativè, & cum disiunctione: *vt est animal: ergo vel rationale, vel irrationale: est ens: ergo vel substantia, vel accidens.* Si verò procedatur negativè valet consequentia cum copulatione negativa: *vt non est animal: ergo neque rationale, neque irrationale.* Ex diviso ad quodlibet membrum dividens divisivè, & determinatè sumptum, non valet argumentum affirmativè: *vt est animal*;

*mal: ergo irrationale*; quia potest esse rationale, vt homo: vel *est animal: ergo rationale*: quia potest esse irrationale, vt equus. Benè autem valet negativè: *vt non est animal: ergo non est rationale*, vt homo. *Non est animal: ergo non est irrationale*, vt equus: quia tàm ad hoc, vt aliquid sit homo, quàm ad hoc, vt sit equus, essentialiter requiritur quod sit animal. Item ex diviso valet argumentum affirmativè ad vnum membrum dividens determinatum, si procedat cum negatione aliorum membrorum dividentium: *vt est animal, & non est irrationale: ergo rationale*, vt homo. Ex membris dividentibus simul sumptis ad divisum licèt bona sit cõsequentia, suppositum tamen est monstruosum, *vt est homo, & leo, & equus, & canis, &c. simul: ergo est animal.* Vbi vt vides consequentia est bona; & suppositũ monstruosum: quia mõstrum est animal quod sit homo, leo, equus, canis, &c. Ex quolibet autem membro dividenti ad divisum valet argumentum affirmativè, *vt est rationale: ergo animal Est irrationale: ergo animal.* Nam irrationale non sumitur negativè, alias conveniret omnibus insensibilibus; sed privativè, prout intra idem divisum, v.g. animal, privatur differentia alterius membri dividentis. Ex quolibet membro dividenti ad divisum, non valet negativè, *vt non est rationale: ergo non est animal*, quia potest esse equus, qui verè est animal; *& non est irrationale: ergo non est animal*: quia potest esse homo.

86 Sed notandum est, quòd quando in his modis arguendi dicimus, valere argumentum ex diviso ad membra dividentia; & ècontra iuxta suprà dicta; vel non valere, non intelligimus divisum secundum quod explicat rationem, qua est formaliter divisum: quia hoc modo semper est malum argumentũ, tàm affirmativè, quàm negativè, vt animal est di-

divisum secundum quod præscindit à rationali, & irrationali positivè, & determinatè talibus; quare non est bonum argumentum: ***est animal præscindens à rationali, & irrationali: ergo est rationale positiuè, & determinatè tale***: vel ***ergo est irrationale positiuè, & determinatè tale.*** Neque valet: ***non est animal præscindens à rationali, & irrationali: ergo non est rationale***: quia potest esse homo, qui non est animal præscindens à rationali, & irrationali: vel ***ergo non est irrationale positiuè, & determinatè***: quia potest esse equus, qui etiam non est animal præscindens à rationali, & irrationali. Neque valet ex membris dividentibus ad divisum modo dicto sumptum: vt ***est rationale determinatè: ergo est animal præscindens à rationali, & irrationali***: quia homo est rationalis determinatè; & non est animal præscindens à rationali, & irrationali. Item non valet negativè, vt ***non est rationale determinatè, & positiuè: ergo non est animal præscindens à rationali, & irrationali***: quia animal *vt sic* non est rationale determinatè; & tamen est animal præscindens à rationali, & irrationali. Et ratio omnium horum est, quam suprà attigimus, scilicèt, quia neque divisum, vt tale est membrum dividens: neque membrum dividens est divisum vt tale; sicut proportionabiliter, neque equus est lapis, neque lapis est equus; sed disparatè se habent. Quare dum dicimus, ***divisum***, in præsenti intelligimus prædicata essentialia illius, quòd dividitur, v.g. in animali, quòd sit vivens sensibile.

87 In modo arguendi à divisione accidentali ad membra dividentia accidentalia, sivè divisio sit subiecti in accidentia; sivè accidentis in subiecta, idem dicendum proportionabiliter est, ac diximus de diviso potentiali ad sua membra dividentia, quia subiectum se habet aliquo modo, vt quid po-

potentiale respectu accidentium in concreto, vt corpus aliud album, aliud nigrum: sicut animal, aliud rationale, aliud irrationale. Similiter quando dicimus, album, aliud nix; aliud papyrus: quia album quasi contrahitur, & determinatur accidentaliter per huiusmodi subiecta: sicut proportionabiliter animal per rationale, & irrationale essentialiter. Dixi tamen: *aliquo modo, seu proportionabiliter*, eò, quòd non est omnimoda similitudo, vt patet.

## CAPVT XV.

### *Quid sit argumentum à testimonio.*

88 ARgumentum *à testimonio* dicitur, quando sumitur ex dicto alicuius, cui operam damus, vel cuius doctrinam sequimur: quod dictum, vel authoritas omninò admittenda est, si verè vt illius habetur, & tanquam certa tenenda. Hoc argumenti genus desumitur ex diversis: siquidem ad diversorum testimonia tenemur. In primis igitur, vt docet Mag. Melchior Canus lib. 1. de locis Theologicis, cap. 1. qui ordinem circa hoc præfixit; vt sequitur: Primo, sumitur ex Sacra Scriptura, quæ libris Canonicis continetur. Secundo, ex traditionibus Christi Domini, & Apostolorum, quæ scripta non sunt; sed de aure in aurem perveniunt, quare *viuæ vocis oracula* rectissimè nominantur. Tertio, ex authoritate Ecclesiæ Catholicæ. Quarto, ex authoritate Conciliorũ, præsertim generalium, in quibus Ecclesiæ Catholicæ auctoritas residet. Quinto, ex authoritate Ecclesiæ Romanæ, quæ divino privilegio, & est, & vocatur *Apostolica*. Sexto, ex authoritate Sanctorũ Veterum. Septimo, ex communi authoritate Theologorum Scholasticorum, quibus adiungendi sunt etiam iuris Pontificij Periti: nam iuris hujus doctrina quasi ex altera par- *Magist. Canus.*

te Scholasticæ Theologiæ respondet. Octavo, ex authoritate Philosophorũ, qui naturam ducem sequuntur. Nono, & vltimo ex historijs humanis fidedignis, vel scriptis, vel de gente in gentem traditis. Istæ omnes authoritates vrgent omnes, tàm Philosophos, quàm Theologos, & iurisperitos Catholicos. Nos Carmelitas Excalceatos insuper præter has vrget authoritas S. Thomæ. Et quia D. Thomas Aristotelem interpretatur, tenetque vt Magistrũ, eius nos debet authoritas vrgere in his, quæ iuxta fidei principia sustineri possunt. Et denique dum litteris Philosophicis vacamus, authoritas nos vrget Complutensium nostrorum, præcipuè iuxta illorum Resumptam, propter Superiorum nostrorũ dispositionem. Illud tamen advertendum est, quòd Sancti Patres (dum Fidei asserta non cogunt eos vna, & eadem sentire) diversa; immo & opposita non semel firmant placita, in quo casu alicuius authoritas non vrgebit; siquidem respondens potest quem, vel quos maluerit sequi. Quæ authoritas, si fuerit D. Thomæ, etiam si plures oppositum docuerint, non istorum; sed illius nos premet authoritas propter nostras constitutiones 2.p.cap.4.num.8. Quod etiam dicendum est de Complutensium authoritate, dum illorum sequimur doctrinam. Quod generaliter verum est de authoritate illius, qui ex obligatione, aut devotione defendendus suscipitur. Denique magnopere vrget propositio in argumento iam concessa, vel doctrina inter respondendum tradita.

## CAPVT XVI.

*De comparatione argumentorum, seù locorum, quæ in hoc opusculo explicuimus, inter se.*

89 AD huius materiæ maiorem abundantiam, oportet in hoc vl-

vltimo capite advertere, quòd ad aliquid probandum possumus vti non solùm vno argumento, seù loco; sed pluribus, aut omnibus, vel ex omnibus, quocumque voluerimus, v.g. ad probandum aliquid esse causam alicuius possumus procedere per effectum, per oppositum, vel per simile, vel per nomen, vel per deffinitionem, vel per divisionem, vel per testimonium, seù authoritatem. Similiter ad probandum aliquid esse effectum alicuius, potest fieri, vel per causam, vel per oppositum, vel per simile, &c. Insuper ad probandum, aliquid esse alicui oppositum, potest fieri, vel per causam, vel per effectum, vel per simile, &c. Et sic etiam dicendum est de cæteris alijs. Denique intra quodlibet genus argumēti potest multipliciter argumentari, v.g in argumento à *causis*, potest argui, vel per causam finalem, vel per causam efficientem, vel per materialem, vel per formalem, Et intra quamlibet causam potest multiplicari locus arguendi secundùm multiplicationem ipsius causæ, v.g. si arguitur per causam efficientem potest sumi argumentũ, vel à causa principali æquivoca, vel à causa principali vnivoca, vel vniversali, vel particulari, vel totali, vel partiali, vel radicali, vel proxima, & formali, vel à causa instrumentali, vel ab operatione. Et idem dicendum est dum sumitur argumentum ab alijs generibus causarum: siquidem in quolibet genere potest multiplicari argumentum secundum multiplicationem specificam dividentem illud genus, dummodo adsint conditiones requisitæ ad causandum. Similiter, & cum eadem proportione, dicendum est, si argumentum sumatur ab effectibus: ***siquidem tot modis dicitur effectus, quot dicitur causa.*** *Axioma.* Si autem sumatur argumentum ab oppositis, potest exerceri, vel per oppositum relativè, vel per oppositum con-

contrariè, vel per oppositum privativè, vel per oppositum contradictoriè; & adhuc in quolibet genere oppositionis, vel potest argumentū procedere per oppositum radicaliter, vel per oppositum formaliter, & multiplicari argumentum ad multiplicationem illius oppositi. Si verò arguatur à simili, cum possit, vt diximus, procedere argumentum, vel à similibus causis, vel à similibus effectibus, vel à similibus oppositis, &c. potest hoc argumentum multiplicari ad multiplicationem causarum, effectuum, oppositorum, &c. Et si est *à simili* in prędicato essentiali, potest esse argumentum à simili prædicato essentiali, generico, vel specifico, sub alterno, vel infimo. Et sic dicendum est de alijs locis secundū maiorem, vel minorem multiplicationem membrorum dividentium. Vnde patet huius Opusculi vtilitas. Quibus illi finem imponimus.

# LAVS DEO.



VIÆ

# VIAE SCIENTIARVM
## OPVSCVLVM SECVNDVM DE PRINCIPIJS, ET REGVLIS, AB ARGVMENTIS SE RECTE DEFENDENDI.

*In quo continentur, & explicantur omnes ferè distinctionum, & identitatum differentiæ, tàm in communi, quàm in particulari: & vbi potius vna inveniatur, quam alia: Illarumque omnes termini, & istorum acceptiones; & quibus modis, eis vtendum est, disputando.*

## PROOEMIVM.



SICVT Enim in Arte Militari non sufficit habere arma, quibus adversarij oppugnentur; sed etiam requiruntur arma, quibus ab adversariorum muniantur incursibus: sic in litteraria nostra militia, vtroque armorum genere indigemus: ideòque postquam discentibus opusculum de principijs, & regulis rectè argumentandi, tradidi; hoc de regulis se rectè ab argumentis defendendi, laboro, Deo favente, vt hanc nostram scientiarum viam perficiam. Notandum tamen est, non inscribi opusculum istud *de regulis se rectè ab argumentis defendendi*, quia solis deserviat defendentibus; constat quidem notitiam distinctionum, illarumque terminorum, & horum acceptionum, de quibus in hoc opusculo agendum est, non parum argumentanti-

tibus proficere; sicut nec primum opusculum intitulatur *de principijs, & regulis rectè argumentandi*: quia solùm sit vtile argumentantibus; siquidem illud multum iuvat defendentes, eo, quòd prædictis regulis cognoscunt, quando arguens benè, vel malè argumentatur, & consequenter ex ipsis regulis frequenter deducet solutionem; maximè cum defendens, dum defendit, non parum discurrat, & formet rationes. Inscribuntur tamen modo dicto, quia præcipuè primum argumentantibus; secundum defendentibus adaptantur.

## CAPVT I.

### *De modo procedendi in hoc Opusculo; & de aliquibus obseruationibus.*

1 SVnt præcipuè arma defendentis distinctiones, & diversæ terminorũ acceptiones. Et dum mecum non semel cogitarem, quomodo circa hoc possem rectè Tyrones instruere, in mentem venit colligere, quantas potuerim distinctiones, & explicare. Insuperque diversas vniuscuiusque illarum termini acceptiones ostendere, & quodlibet prædicatum, quibus modis, de aliquo dici queat, manifestare. Non quidem ad omnia in speciali, vel particulari descẽdendo (cum hoc omninò iudicem impossibile) sed exemplificando in plurimis earũ, ex quibus proportionabiliter poterit quisque alijs applicare. Habet hoc Opusculum viginti capita, quorum præsens est in quo, vt patet, de opere reditur ratio. In secundò agitur de generibus distinctionum, in quo generales omnes distinctiones aperiuntur, definitiones, seù descriptiones vniuscuiusque assignantur. In tertiò traduntur principia, & signa, quibus posimus cognoscere, quando datur inter aliqua hæc, vel alia distinctio. In quartò agitur de identificatione rerũ: quo-

tuplex sit,&quibus principijs cognoscetur? Vtrùm ista, aut illa inter aliqua inveniatur? Ab hoc capite, vsque ad decimum octavum explicantur sexaginta & vna distinctiones, & vniuscuiusque termini diversæ acceptiones. In duobus vltimis capitibus applicantur prædictæ distinctiones, & terminorũ acceptiones ad modum defendendi,& aperitur, practicaturquè intentũ opusculi. Aliquæ distinctiones videbuntur synonimè; sed re verà,nòn in vanùm ponuntur, vt constabit: nam quod semèl dictum est, dicere iterùm recusamus.

2 Aliqua vtiquè in præsenti observare oportet. Primum est, nè fortè ex hoc opusculo aliqui in disputando fastidium parturiant; alij autèm confusionem generent: quamlibet enim propositionem positam ab arguente, non debet defendens statim distinguere, eam concedendo in hac, aùt illa acceptione, & negando in alijs; sed prudenter vtatur his distinctionibus, & acceptionibus: ita, vt semper intelligat propositiones arguentis in sensu formali, & secundùm communem terminorum acceptionem, nisi vrgeat specialis ratio, aùt propositionis æquivocatio. Notandum tamèn est, vnicum terminum non semper habere vnicam communem acceptionem,dantur vtiquè plures, quorum quilibet duas, vel tres communes acceptiones patitur: siquidem Doctores, iam in vna, iam in alia accipiunt, vt infra diversis in locis constabit.

3 Secundum est,quòd non deviet à communi doctrina, se inclinans ad singularia, fissus in hoc præcisè, quòd potest ab hoc, aut illo ex tot sensibus has, aùt illas auctoritates intorquère, ad propriumquè perducere; sed sempèr attendat,& maturè inspiciat, vt semper ad quodlibet asserẽdum, plurimis,& melioribus,quan-

tum posſibile eſt, vtatur rationibus, authoritatibuſquè manifeſtioribus illius, aùt illorum, ad quorum doctrinam tenetur. Addere autèm ad id, quòd communiter dicitur, non eſt à priſcis recedere; ſed ex ipſis nova explanare, ſi in ipſis fundamenta, & cauſæ, ex quibus illud infertur, inveniantur; quòd non tàm dicendum eſt ***novum***; quàm ***novitate dictum, aut noviter expreſſum.***

4 Tertium eſt, quòd interpretationes, aut acceptiones, quæ aliquantulùm apparent violentæ, & extraordinariȩ, fugiat tradere, niſi magna vrgeat neceſsitas; & tunc exemplis confirmet, nè rarus videatur in explicando, aut ridiculus iudicetur; inveniet quidem infra cõfirmationes.

5 Denique obſervandum eſt, non omnes terminorũ acceptiones confirmari Auctoribus, nam plures abſolutè aſsignantur; aliȩ exponũtur exemplis, Hoc autem non eſt, quia auctoritate careant, aut ſola mea, quæ nulla eſt, gaudere vellim; ſed, & quia ſunt ita communes, vt qui in Scholaſticis verſatus fuerit libris, non dubitet: & quia hoc opus, longiùs quàm deſidero, ab iret. Item notetur, terminos alias plures poſſe pati acceptiones, quàm in ſpeciali traditur, vt manifeſtè conſtabit ex infra dicendis cap. 19. & 20. attenteque videndis ad rectè defendendum.

## CAPVT II.

### *De diverſis generibus diſtinctionum.*

6 CVm ad rectè defendendum neceſſum ſit benè de rebus iudicare. Nec enim rerum naturas cognoſcere valemus, quin vnam ab alia diſtinguere ſciamus; ideò antequàm ad ſpeciales diſtinctiones, & terminorum diverſas acceptiones deveniam, congruum erit generalium omnium diſtin-

ſtinctionum notitiam tradere; quia fortè quas hic colligam, & diſcutiam, nullibi collectas invenies. Diſtinctio ergo vt ſic *eſt alietas vnius ab alio*. Hæc dividitur in diſtinctionem realem,& rationis. *Diſtinctio realis eſt inter ea, quorum à parte rei, ſeu in rerum natura, & ſine fictione intellectus, vnum non eſt aliud*. Diſtinctio realis, alia eſt numerica, quæ ſolet dici materialis, eo, *quòd ſumitur à materia, vt inter individua eiuſdem ſpeciei*. Alia eſt ſpecifica, *vt inter ſpecies eiuſdem generis*. Alia generica, vt *inter duo genera*, vel ſuprema, vel intermedia. Iſtæ duæ diſtinctiones dicuntur *formales*, quia à forma derivantur. Secundò diſtinctio realis dividitur in realem poſitivam, & negativam. Poſitiva eſt, *quæ verſatur inter extrema poſitiua*, vt inter Petrum, & Paulum: albedinem, & motum. Et hæc dividitur in realem actualem,& potētialem. Actualis eſt, *quæ verſatur inter res, quæ actualiter diſtinguuntur*, ſivè partialiter, vt materia prima, & forma ſubſtantialis: manus, & pes; ſivè totaliter, vt Petrus, & Paulus. Potentialis eſt, *quæ verſatur inter ea, quæ actualiter ſunt idem; habent tamèn potentiam, vt realiter differant*, vt inter portiones ſubſtantiæ materialis, quæ propter ſubſtantiæ indiviſibilitatem ſunt realiter idem; tamèn ratione quātitatis poſſunt realiter diſtingui, vel partialiter, ratione aliquarum partium quantitatis; vel totaliter, ſi ratione quantitatis dividantur in duo tota, vt vna aqua dividitur in duas; quia illius quantitas in duas partitur quantitates totales, de quo videantur noſtri Complut. in lib. de gener. diſp. 5. Illa enim ſub dividitur primò, *in realem poſitivam rei à re, vt res diſtinguitur contra modum*. Et ſecundò, *in realem poſitivam modalem*. Et tertiò, *in realem eminentialem*, ſeù *realem fundamentalem*. Et quartò, *in realem virtualem*. Prima *Complut.*

eſt

est, *quæ versatur inter ens, & ens: aut rem, & rem*, vt inter Petrum, & Paulum. Secunda est, *quæ versatur inter rem, & modum, vel inter duos modos*, vt inter materiam, & vnionem: & inter vnionem, & subsistentiam. Tertia autem, videlicet realis eminentialis, vel fundamentalis, est *quando vna entitas simplex, & actu non distincta prabet fundamentum, vt in illa intellectus plura distinguat*; vel propter eius eminentiam, & amplitudinem, quæ vnico conceptu non valet explicari, & exponi; vel quia radicat plura: ex quo sequitur, quòd possit vt plura, seu multipliciter concipi, vt patet in anima rationali, quæ propter suam eminentiam habet esse forma vegetativa, sensitiva, & rationalis, & radicare diversas valdè potentias, & operationes, sicquè concipi in adæquatè secundum vnam rationem; & non secundùm aliam. Quæ distinctio, quasi à priori ostenditur ex illo principio S. Dionisij 5. cap. de divin. nomin. *Quæ in inferioribus sunt dispersa; in superioribus sunt vnita*. Et à posteriori per diversitatem potentiarum, vel operationum, seù connotatorum, vt plures intendunt Moderni.

*S. Dionisius.* *Axioma.* *Moderni.*

7 Distinctio virtualis, vt inquit Caiet. 1. p. quæst. 39. art. 1. §. *ad secundam verò*. Tunc datur, *quando licèt aliqua multa non sint, ita sunt, ac si essent multa.* Vnde sicut esse realiter actualiter multa, potest cótingere dupliciter. Primò, realiter entitativè. Secundò, realiter modaliter; ita aliqua quæ multa non sunt, possunt se habere, vt multa, dupliciter. Primò, ita vt non sint multa realiter entitativè; tamèn sic se habeant, ac si essent multa entitativè, quomodo se habent quæ distinguuntur realiter modaliter: & consequenter distinguuntur virtualiter, vt contraponitur ad realiter entitativè. Secundò, modo ita, vt non sint realiter multa, adhùc modali-

*Caietanus*

liter; tamen sic se habeant, ac si realiter, saltèm modaliter essent multa, quo pacto se habent quæ distinguūtur tantùm actualiter distinctione rationis ratiocinatæ: & consequēter distinguuntur virtualiter, vt contraponitur ad realiter, adhùc modaliter: & hæc vltima est magis communis acceptio distinctionis virtualis; tamen prima invenitur aliquando apud Thomistas, & Complut. vt ostendi in illa quæstione (quam inter alias disputavi) *utrum calor existens in igne secundùm suam speciem consideratus distinguatur à se ipso, vt est virtus ignis, realiter modaliter? An verò distinctione rationis cum fundamento in re?* §.3. num.18. & 19. Sed quia non ad omnes perveniet, videater Magist. Ioan. Martinez de Prado in logica, lib.1. q.13. §.1. n.11. Ad cognoscendum autèm, quando, vbi dicitur aliqua distingui *virtualiter*, intelligendum sit in prima, vel secūda acceptione? attendatur tùm ad stylum Auctoris, tùm & maximè ad rationem, vt ibidem observavi num.19. Rationes autem, & signa ad quamlibet cognoscēdam tradentur infra cap.3. Hoc etiam modo potest exponi distinctio fundamentalis, & eminentialis: nam fortè nullo modo distinguuntur. Et quidem mihi placet, & placuit quibusdam Thomistis, vt videre est apud Magist. Fr. Ioannem Martinez de Prado in logic. lib.1. quæst.13. §.1. num.5. Immo aliqui Thomistæ volunt, istas non distingui à reali modali, vt apud ipsum videre licèt; sed communis est sententia opposita.

*Thomistæ. Complut.* — *Magist. Ioann. Mart. de Prado.* — *Quidam Thomistæ. Magist. Ioann. Mart. de Prado. Alij Thomistæ.* — *Com. sent.*

8 Observandum tamen est, quòd communiter cōtrovertitur in Scholis alia distinctio, quæ vocatur *media*: & tribuitur Scoto, ab ipsoquè *formalis distinctio ex natura rei, & ante operationem intellectus* appellatur; tamen quidam ex Scotistis inquiunt, talem distinctionem esse illam, quam diximus *fundamen-*

*Scotus. Aliqui Scotistæ.*

*mentalem realem*, vel *virtualem*, excludentem omnem distinctionem realem, quam iam explicuimus; & fit actualis per operationem intellectus. Alij autem affirmāt, quòd est illamet, quam suprà etiam diximus realem modalem, & quod dicitur *media*; quia mediat inter realem distinctionem entitativam, seu rei à re, & inter distinctiònem rationis. Vndè non est necessum istam distinctionem, vt diversam attexere. Videatur Suarez tom. 1. Metaphis. disp. 7. sect. 1. à num. 13. Si autem in alio sensu alij Scotistæ contendant dari prædictam distinctionem, ab illius explicatione super sedemus; quia omninò fictitiam iudicamus: sicut fictitium est, quòd aliquid non sit, vel reale, vel rationis, hoc est, à parte rei, & independens à fictione intellectus ad suum esse; vel non à parte rei; sed per fictionem intellectus habens esse. Vnde omninò implicat, vt dicatur *media*, quia mediet inter distinctionem realem, & rationis, & ideò impossibilem iudicant cōmuniter Philosophi pro quo videri possunt Soncinas, Herbeus, Granado, & alij, quos referunt, & sequuntur nostri Complut. in logica, disp. 3. quæst. 4.

*Alij Scotistæ.* *Suarez.* *Scotistæ.* *Comm. Philosophi* *Soncinas.* *Herbeus.* *Granado.* *Alij.* *Complut.*

9 Insupèr observetur, distinctionem virtualem fundamentalem, & eminentialem, quæ per operationem intellectus redditur distinctio actualis, & appellatur distinctio rationis ratiocinatæ, sufficere, vt de extremis sic distinctis, verificentur prædicata contradictoria: ita, vt id ipsum, quòd de vno affirmatur, de alio negetur, sic docet expresè D. Thom. in 1. distinct. 34. q. 1. art. 1. ad 2. Et communiter Thomistæ, quòd probat Soncinas lib. 4. Metaphis. quæst. 30. duplici ratione. Prima, quia affirmatio, & negatio, cum sint opposita, verificantur de oppositis: sed vbi est distinctio rationis, est aliqua oppositio; cum vnum non sit aliud secundum illam ta-

*S. Thom.* *Com. Thomistæ.* *Soncinas.*

talem rationem: & consequenter se excludant: ergo. Secunda est: quia vbi est distinctio rationis, ibi est, quòd vnum conveniat vni, & non alteri; aliàs non essent diversa: ergo. Tertia, etiam potest designari ratio, nempè, quòd propositiones formamus, sicut res per intellectum concipimus: sed per intellectum cócipimus esse res diversas, vbi est distinctio rationis: ergo possumus diversas, & oppositas formare propositiones. Ex quibus infero, quòd etiam sufficit distinctio quoad expresſiones in eadem re, ad hoc, vt verificentur propositiones oppositæ, & contradictoriæ; siquidem etiam est ibi aliqua distinctio.

10 Distinctio *realis negatiua* est, *qua versatur inter extrema negatiua: vel vnum positivum, & aliud negativum*; vt inter cœcitatem, & surditatem: esse, & non esse. Sumitur enim in præsenti *negativum*, vt etiam includit *privativū*. Cum autèm negatio entis, tot modis dicatur, ad ens, per ordinem ad quod est negatio, aùt privatio: sic tot modis potest distinctio negativa accipi, sicut, & realis positiva: Quapropter necessum non est illas repetere; sed videantur in numeris præcedentibus.

11 Distinctio *rationis est inter ea, qua à parte rei, & antè operationem intellectus non distinguuntur formaliter actualiter, etiam si detur à parte rei fundamentalis distinctio*, vt inter vegetativum, sensitivum, & rationale eiusdemmèt animæ rationalis. Ista est duplex, alia distinctio rationis ratiocinatæ: alia rationis ratiocinātis. Prima est, *qua habet fundamētum in rebus*, vt in exemplo posito, & fit formalis distinctio ab intellectu. Quæ distinctio non dicitur rationis: quia extrema non sint realia; sed quia realiter non distinguuntur, sed per operationem intellectus: nàm aliquando extrema sunt realia, vt in prædicto exemplo vegetativi, & sen-

sensitivi eiusdem animæ; aliquando verò sunt quid rationis, vt distinctio, quæ versatur inter gradum genericum, & specificum alicuius entis rationis, scilicèt, *specititatis*. Distinctio rationis ratiocinantis est, *quæ non habet fundamentum in rebus*, vt quando aprehendimus distinctionem, vel identitatem eiusdem ad se ipsum: nàm tùnc fingimus aliquam distinctionem extremorum; siquidem facimus comparationem, quæ sine aprehensione multiplicitatis consistere nequit. Notetur tamèn, quòd *ratio* non semèl sumitur pro *essentia*: & consequenter *distingui secundùm rationem*, vèl *ratione*, solet accipi *pro distingui essentialiter*. Videatur cap. 12. num. 87. infra.

12 Dubitatis primò, vtrùm ens reale, & ens rationis distinguantur realiter, aùt secundùm rationem? Ad quod breviter respondeo, quòd secundùm diversam acceptionem potest optimè vtrumquè affirmari: Potest quidem dici, quòd distinguátur secundùm rationem: quia ad distinctionem requirũtur duo extrema: ergo ad distinctionem realem, sivè à parte rei, requiruntur duo extrema à parte rei: sed si vnum extremum est ens rationis, non sunt duo extrema à parte rei: ergo non erit distinctio realis in hac acceptione, nempè prout distinctio realis est distinctio à parte rei. Potest insuper affirmari, esse realem, si distinctio realis sumatur pro distinctiòne sine fictione intellectus: siquidem sine fictione intellectus ens reale non est ens rationis: ergo realiter distinguitur ab illo. Si sumitur in hac acceptione potest prædicta distinctio dici *positiua*, si versetur inter ens reale positivum, & ens rationis positivum. Quòd si sumatur in prima acceptione, distinctio realis, debet dici *distinctio negatiua*; quia ens rationis à parte rei est non ens: & consequenter quid negativum.

13 Dubitabis secundò,

dò, quomodo distinguantur entia rationis diversa in specie, vt *speciei tas*, & *genereitas*, vel numero diversa, vt duæ genereitates? Et respondeo, quòd sumpta distinctione reali pro distinctione sine fictione intellectus, suppositis extremis fictis, seu suo modo iam factis, distinguuntur realiter; quia sine fictione intellectus *genereitas* non est *speciei tas*, nèc *hæc genereitas* est *illa genereitas*, suppositis factis genereitatibus; vèl in actu signato. Istæ autem distinctiones dicentur *positiua*, vèl *negatiua* secũdum naturam extremorum; sumpta distinctione reali pro distinctione in rerum natura potest dici distinctio realis negativa propter rationem factam numero præcedenti; non tamen rigorosa; quia non sunt simpliciter negationes reales; sed reductivè.

14 Præter istas distinctiones dantur aliæ communes reali, & rationis. Prima, distinctio est *formalis*. Secunda, *includentis ab incluso*, quæ etiam appellatur distinctio *in adæquata*. Tertia, *excludentis ab excluso*, quæ *adæquata* distinctio dicitur. Quarta, *quoad implicitum, & explicitum*. Et quinta, *quoad expressiones*. Distinctio formalis *est, quæ sumitur à forma, vèl differentia essentiali, vèl à propria rei conceptibilitate*: Et sicut datur propria forma, essentia, & differentia essentialis, diversaquè conceptibilitas, tàm in entibus realibus, quàm rationis: tàm in rebus distinctis realiter, quàm secundùm rationem: ita distinctio formalis in omnibus istis invenitur: & consequẽter dividitur in realem, & rationis. Quod quidem advertit Magist. Flandria lib. 5. Metaphis. quæst. 9. art. 8. notab. 1. & subscribit Mag. Fr. Ioannes Martinez de Prado vbi suprà num. 11. idemque Mag. Flandria ibidem notat, quòd non omnis distinctio formalis est specifica, sed potest inveniri inter ea quæ sunt eiusdem speciei, si fuerint formæ, vel

*Flandria.*

*Ioann. Mart. de Prado.*

vel habeant diversas formas, vt duæ animæ rationales: & Petrus, & Paulus ratione suarum animarũ; tamèn contra hanc advertentiam, aùt notationem communiter tenent Thomistæ non pauci.

Plures Thomistæ.

15 Distinctio includentis ab incluso, seû inadæquata, est, quæ *versatur inter totum, & partem inclusam in tali toto: vèl inter illud quod aliquo modo se habet vt totum, & illud, quòd aliquo modo se habet, vt pars inclusa in illo quasi toto*. Quæ distinctio tunc erit realis, quando totum, vèl quasi totum prætèr illam partem, aùt quasi partem, cui comparatur, includit aliam partem, aùt quasi partem realiter distinctam ab illa, cui totum comparatur, vt homo distinguitur realiter à materia prima: quia prætèr materiam primam, includit formam substãtialem realiter distinctam à materia prima: & album respectu albedinis: quia prætèr albedinem importat subiectum realiter distinctum ab albedine. Tùnc verò erit distinctio rationis, quãdo totum, & pars eius, modo explicato, non differant realiter; sed per rationem, vt totum metaphysicum à qualibet ex suis partibus metaphysicis, vt homo à rationali. Distinctio excludentis ab excluso, quę etiam dicitur adæquata, est, *quæ versatur inter ea, quorum vnum excludit aliud*, vt totum, & totum: & partes alicuius totius, vt materia, & forma. Quæ distinctio erit realis, vèl rationis, secundùm ea, quæ suprà dixi.

16 Distinctio quoad implicitum, & explicitum est, *quando in eadem realitate dantur diversæ expressiones, quæ re vera in tali realitate includuntur, seu implicantur, & comparatur talis res cum qualibet expressione*: & hæc distinctio reducitur ad distinctionem includentis ab incluso. Distinctio verò quoad expressionem est, *illa, quæ versatur inter duas expressiones eiusdem realitatis*: siquidem vna non expressat aliam,

aliam, vèl quod alia exprefsat; identificantur tamèn quoad implicitum: quia sunt vnica realitas, & reducitur ista distinctio ad distinctionem excludentis ab excluso. Hæc enim distinctio quoad expressionem fit dupliciter. Primò, quando illæ expressiones identificātur in vna entitate reali; tamèn distinguuntur virtualiter, vt animal, & rationale in homine, & hæc non est ita rigorosa distinctio quoad expresfionem; licèt aliquando sortiatur hoc nomen. Secundò, ita, vt identificentur adhuc virtualiter, & solùm quoad expresfiones differant, & hæc est rigorosa acceptio huius distinctionis, quę solet etiam appellari ***distinctio ex nostro modo concipiendi***, vèl distinctio, ***munerica***, seu ***quoad munus***: quia videlicèt propter suā eminentem perfectionem non possumus rem cognoscere adæquatè; sed per analogiam, & similitudinem ad res inferiores concipimus illam diversis cōceptibus, imperfectis tamen, & inadęquatis, vt videre est in essentia divina, quæ absquè distinctione adhùc virtuali, vt plurimi docent Thomistæ, gerit vices naturæ radicaliter intellectivæ, intellectus proximi operativi, operationis, speciei impressæ, & expressæ: & in personalitate, v.g. patris, se habent munus constituendi personam, & munus se referendi ad filium: & in differentia atoma animæ rationalis invenitur munus cōstituendi hominem, tale vegetativum, & tale sensitivum. Quæ distinctio etiam invenitur propter confusionem alicuius conceptus præcisi secundùm quid ab aliquibus rationibus simplicibus: quia secum trahit talis conceptus ipsa inferiora, vt in ente respectu substantiæ, & accidentis, aùt aliorum inferiorum; vbi ratio entis distinguitur quoad implicitum, & explicitum à quolibet inferiori, & ipsa inferiora distinguuntur quoad expresfionem inter se; ***Thomista***

se, prout in tali ratione, vt videre est apud nostros Complutenses in logica, disp. 11. quæst. 4. in Resumpta.

Complut.

## CAPVT III.

### *De principijs, aùt signis, prædictarum distinctionum.*

17 Postquam explicuimus genera omnia distinctionum in communi, oportet signa tradere, & principia, quibus cognoscere possimus, quando inter aliqua detur hæc, aùt illa distinctio. In primis igitur ad cognoscedam distinctionem realem in communi, est evidens signum realis separatio vnius ab alio. Ita Aristot. 7. Topic. cap. 1. loco 15. his verbis: *Alterum si potest sine altero esse, non erit idem.* Quo fundamento per motus S. August. 6. de Trinit. cap. 6. dixit: *In vnoquoque corpore, aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura.* Qua regula comuniter vtuntur Scholastici ex Magistro in 1. dist. 8. & intelligenda est, sivè naturaliter, sivè supernaturaliter separatio fiat. Tamèn ex illa non semper colligitur distinctio realis actualis ante separationem; nàm aliquando est solùm distinctio realis potentialis, vt in portionibus substantiæ, docent cum pluribus nostri Complut. in lib. de gener. disp. 5. siquidem substantia corporea intra lineam substantiæ non habet partes realiter actualiter diversas; sed solùm potentialiter; & tamèn possunt portiones talis substantiæ ratione quantitatis dividi. Nutritio etiam fit per identificationem portionis substantiæ cum substãtia præexistenti, ex eo quod adveniens, & præcedens sigillantur eidem quantitati, à qua individuatur substantia; vt in qua quantitas prædicta radicaliter est præcontenta. Hoc quidem solùm contingit, quando res sunt eiusdem rationis, & ex natura sua indivisibiles,

Aristot.

S. August.

Scholast. Magist. sentent.

Complut. Plures alij.

les, & sigillatæ eidem individuativo. Per quod excipitur quantitas, cuius essentia est habere partes extra partes, in qua benè valet supra dicta regula, adhuc loquendo de distinctione actuali. Sed notare oportet, quòd in quantitate, non eodem modo distinguűtur partes ante separationem, ac post illam: quia ante separationẽ distinguűtur realiter actualiter partialiter, id est, vt partes reales alicuius totius, post separationem verò distinguuntur realiter actualiter totaliter, id est, tanquam totum, & totum. Quod etiam in substantia corporea proportionabiliter dicendum est: nam illa distinctio potentialis realis, non est, vt actualiter distinguantur, vt pars, & pars; sed vt duæ substantiæ totales, vt patet in vna aqua, quæ quidem in aquas distinctas totaliter dividitur. His, & similibus exceptis, regula demonstrat distinctionem realem actualem.

18 Separatio autem potest esse dupliciter, vel ita, vt id quod separatur, & illud, à quo separatur maneant in rerum natura: vèl ita, vt non maneat id, quòd separatur; sed solùm illud, â quo separatur. Si primum, benè infertur distinctio realis entitativa, seu rei à re: siquidèm benè probatur, vnum posse in rerum natura adinvicem sine alio esse, quòd proprium est rei, & entitatis; non verò modi, vt constabit ex eius deffinitionibus cap. 12. num. 89. Si autem illud, quòd separatur, non maneat in rerum natura, nec vllo modo manere possit, nèc simile illi aliquando mansit, non infertur necessariò distinctio realis modalis, vt intendebat Suarez tom. 1. Metaphis. disp. 6. sect. 2. num. 6. *Suarez.* Ratio est: quia plura sunt, quæ proptèr maximam dependentiam ab alio non possunt in rerum natura sine illo consistere; & tamèn sunt verè, & propriè entitates, & res. Quod apparet manifestè in forma substantiali corporea, & val-

valdè materiali, quæ sine materia esse non potest: & materia, in qua erat, potest manere sub alia forma. Et in sententia plurium Thomistarum figura nequit sine quantitate consistere, adhùc per potentiam Dei absolutam: & similiter relatio sine suo fundamento: & actio vitalis sine suo principio: & duratio sine eo, quòd durat, & tamèn sunt entitates: siquidèm directè in prædicamento collocantur: & omnia prædicaméta sunt entia completa. Quod omne suis locis, & alibi passim docent nostri Complut. cum alijs. Quarè vtrùm sit modus, investigandum est, prætèr supradicta, ex imperfectione maxima, & incompletione illius, quòd taliter, nequit consistere separatum, vt mutationes, motus; modi intensionis, aliquæ elevationes, & alia huiusmodi.

*Thomista.*

*Complut. Alij.*

19 Secundum signum est, quòd, quæ pèr se, & primariò generantur diversis generationibus, realiter distinguuntur, ita Arist. lib. 4. Metaph. text. 3. & probatur: nàm secundùm Philosophum 5. Phisicor. text. & comm. 34. generationes, & motus habent vnitatem, & distinctionem ex terminis, ad quos pèr se, & primariò terminantur: ergo vbi generationes realiter distinguuntur, debent etiam termini per se, & primariò producti, realiter distingui. Videatur Soncinas 4. Metaphis. quæst. 22. Sed observa, quòd generationes sint causarum eiusdem ordinis, & totalium: quia causæ plures diversi ordinis, actionibus generativis diversis, possunt vnicum producere terminũ, vt Deus, Sol, Astra, & equus generant vnicum equum: & similiter causæ partiales, generationibus partialiter diversis, vnicum possunt attingere terminum. Quod dictum est de generationibus, extendendum est ad quascumque actiones, productiones, aùt causalitates cuiuscumque generis causæ; mi-

*Aristot.*

*Soncinas.*

militat enim eadem ratio in omnibus.

20 Alijs etiam signis, & principijs potest hæc distinctio investigari ex opusculo præcedenti. Vnde tertium signum, vel principium erit *à causis*. Nam quando aliquid est causa alterius in quocumque genere causæ, rectè infertur realiter distingui: quia idem non valet se ipsum realiter causare. Et hoc est verum, etiam si non sint causa, & effectus; sed producens, & productum, vt inter personas divinas cernere licèt: quia vna persona nequit realiter se ipsam producere. Ab *effectibus* etiam ostenditur: tùm per separabilitatem, vt diximus: tùm per diversas potētias, operationes, & terminos adęquatos: nam eadem ratio est de modo argumentandi ex causa ad effectus, ac de effectibus ad causam.

21 Quartum signum est *à simili*: nam si Petrus, qui est similis Paulo in natura distinguitur realiter ab aliqua ratione; etiam Paulus distinguetur realiter ab alia simili ratione, vt si Petrus distinguitur realiter à sua albedine, etiam Paulus à sua distinguetur realiter.

22 Quintum signum est ab *oppositis*, ex quibus rectè infertur etiam distinctio realis: nam ea, quę realiter opponuntur, realiter differunt: sivè opponantur relativè, vt pater, & filius: sivè contrariè, vt calor, & frigus: sivè contradictoriè, vt esse, & non esse: sivè privativè, vt visus, & cœcitas. Et ratio est: quia nihil potest sibi esse realiter oppositum. Et possunt alia signa multiplicari secundùm alia principia argumentandi ex dictis opusculo primo.

23 Distinctio realis numerica arguitur primò, per causam materialem diversam, v. g. subiectum: nam istud est principium, & causa talis vnitatis. Secundò, si fiant per se, & primariò, similibus generationibus eiusdem speciei infimæ. Tertiò, si habeant similes potentias, operatio-

tiones, & terminos eiusdem speciei infimæ. Quartò, si habeant similia contraria pèr se, & ex propria natura; & non per accidens: nam quia est per accidens Petrum, & equum esse albos, non sunt solo numero distincti; etiam si habeant similia contraria, nempè subiecta nigra.

24 Distinctio realis essentialis specifica arguitur per formas, per proprietates, operationes, terminos diversos essentialiter specificè, & per aliqua alia principia supradicta. Distinctio realis essentialis generica arguitur per formas, proprietates, actiones, terminos, &c. diversa essentialiter genericè. De quo videantur quę dixi in opusculo 1. cap. 9. num. 70.

25 Eadem proportione inferenda est distinctio realis numerica negativa, specifica, aùt generica, ac antecedenter diximus: quia negatio, & privatio arguitur per formas, quarum sunt negationes, & privationes: & consequenter eadem argumenta proportionabiliter militant vtrobiquè.

26 Dubitat tamen quidam, vèl de hac doctrina, vel de alia Complut. in logic. disp. 3. quæst. 4. vbi in vna conclusione dicitur, vnitatem numericam, & formalem eiusdem individui quoad entitatem sumptas non distingui realiter; sed solum distinctione rationis ratiocinatę; in alia verò conclusione dicitur, negationem quam dicit vnitas numerica, distingui realiter negativè (quia extrema sunt negativa) à negatione, quam dicit vnitas formalis: ergo ponunt hìc Complutenses formas, quibus negationes privant non distingui realiter; & támèn negationes realiter distingui. Respondetur negando consequétiam: Nam Complut. non inquiunt negationem vnitatis numericæ, & negationem vnitatis formalis eiusdem individui distingui realiter, quòd erat necessum, vt doctrinæ numero præcedenti positæ Complut.

opponerentur (istæ autem carentiæ solùm secundum rationem distinguuntur, sicut & ipsæ vnitates) sed inquiunt, vnitatem numericam importare negationem distinctionis numericæ: & vnitatem formalem negationem distinctionis formalis: & sicut distinctio numerica, & formalis distinguuntur realiter: siquidem sunt diversæ speciei: ita negationes prædictarum distinctionum distinguuntur realiter, etiamsi entitates habentes tales negationes non distinguantur realiter; sicut si homo haberet carentiam visus, & carentiam risibilitatis, istæ carentiæ distinguerentur realiter; licèt gradus animalis, cui debetur visus, & gradus rationalis, cui debetur risibilitas, in illo homine non distinguantur realiter.

27 Signa distinctionis realis fundamentalis (sic dicta, quia realiter est fundamentum distinctionis rationis) seù eminentialis, vèl virtualis, sunt partim positiva, & partim negativa: ista sunt carentiæ, & negationes signorum distinctionis realis actualis; illa verò sunt, *à priori*, eminentia supra illas res diversas, & æquivalentia ad ipsas; & *à posteriori*, potentiæ, operationes, & termini, vt supra diximus.

28 Signa distinctionis rationis ratiocinatæ sunt carentię omnium signorum distinctionis realis; & præsuppositivè, & materialiter, eminentia, ac æquivalentia entitatis ad plura, vel quod possit radicare diversas potentias, & operationes: nàm eo ipso habet intellectus fundamentum ad habendos conceptus obiectivos; quorum vnum apræhendat, vt diversum ab alio formaliter; qui tamèn à parte rei diversi non sunt, in quo consistit præfata distinctio rationis ratiocinatæ. Signa verò distinctionis rationis ratiocinantis inferuntur ex descriptione ipsius suprà tradita num. 11.

Sig-

29 Signa distinctionis formalis patent ex dictis: nàm distinctio formalis, alia est realis, alia est rationis, quarum iam signa tradidimus. Signa distinctionis realis includentis ab incluso sunt, quę suprà diximus pro distinctione reali, illa applicando partibus totius; vel toti comparativè ad quamlibet partem. Ex quo manent explicata signa distinctionis excludentis ab excluso. Et proportionabiliter dicendum est, si distinctio fuerit rationis: nam illius videantur signa. Ex quibus etiam patet, quibus signis possimus cognoscere distinctionem quoad implicitum, & explicitum, & quoad expressiones: nam vno modo sumitur pro distinctione virtuali; alio verò sumitur secundum quod excludit adhuc distinctionem virtualem: & consequenter signa erunt carentiæ signorum aliarum distinctionum, & quæ vt conditiones assignantur prædictæ distinctionis suprà cap. 2.

## CAPVT IV.

### *De identificatione, & illius signis.*

30 IDem duplicipiter sumitur, vno modo *relatiuè*, vèl, vt Alij loquuntur, *formaliter*, & hoc modo pertinet ad genus relationis inventæ in substantia; sicut relatio *similitudinis* in qualitate; & relatio æqualitatis in quãtitate, secũdum illud Philosophi 5. Metaph. cap. 15. *Eadem namque sunt, quorum substantia est vna: similia verò quorum qualitas est vna: æqualia verò, quorum quantitas est vna.* Alio modo sumitur *idem negatiuè*, vel vt Alij loquuntur *fundamẽtaliter*, id est, quòd secundùm suam entitatem sit vnum in se, & divisum à quolibet alio, vt Petrus est idem homo; quia est vnus homo in se, & distinctus à quolibet alio. Et de hac identitate agimus in præsenti. Vbi notandũ est, quòd in hac adhûc acceptione solemus dicere, ali-

Quidam.

Aristot.

Alij.

quid esse vnum formaliter, id est, habere eamdem indivisibilem formam, naturam, vel essentiam, vel conceptum, vel expressionem secundùm diversitatem identitatum, quas trademus. Hanc identitatem fundamentalem dividunt Aliqui in absolutam, & relativam. *Absolutam*, inquiunt, esse in qua aliquid est indivisum in se; & *relatiuam*, qua est divisum, vel distinctum à quolibet alio. Alij autem, quòd identitas absoluta est, qua vnum dicitur idem sibi ipsi: quia est in se in distinctum, vt Petrus est sibi idem Petrus. Et identitas relativa est, qua est idem cum alia formalitate, vel conceptu obiectivo, vt homo est idem cum animali. De quo videatur Soncinas vbi infra. Ego autem ex dicendis cap. 10. à num. 64. vbi agitur de ly *negatiuè, positiuè*, &c. aliter explicarem, *esse indivisum in se, & divisum à quolibet alio*. Et *Indivisum in se*, dicam *identitatem absolutam, & positiuam*: quia dicit positivum suum esse, & vnitatem. *Esse verò divisum à quolibet alio*, dicam *identitatem negativã*: quia solùm explicat negationem identitatis cum alio quocumque: & dicam quod ista sequitur ad illam, quia prius est aliquid esse vnum in se: ex quo infertur, dividi à quolibet alio, seu negatio identitatis cum alio: siquidem negatio in aliquo positivo, & absoluto fundatur. Hæ autem identitates, scilicèt *relatiua, & absoluta*: vèl *absoluta*, seu *positiua*, & *negatiua*, non distinguuntur realiter: nàm vnum absque distinctione reali est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: sed identitas absoluta, & positiva est, esse indivisum in se; & identitas relativa, seu negativa est, esse divisum, seu distinctum à quolibet alio: ergo, &c. Tùm etiam, quia per id, per quod aliquid constituitur in suo esse, distinguitur à quolibet alio: sed per vnã realiter rationem constituitur aliquid in suo esse in

Aliqui.

Alij.

Soncinas.

In se: ergo,&c. Maior probatur: quia per id, per quod homo constituitur homo, est distinctus realiter à quolibet alio, quòd non est homo. Hoc alijs *Soncinas.* rationibus probat Soncinas lib.10. Metaph.quæst. 5.conclus.1. Si verò sumatur identitas relativa secundum quod aliquid est idem cum aliqua alia formalitate, vt homo est idem cum animali, etiam probatur assertum: quia homo non est realiter idem in se, sine identitate cum animali: siquidem realiter,& essentialiter est animal: ergo non distinguuntur realiter prædictæ identitates. Hoc supposito, loquamur iam de multitudine vera identitatum.

31 Identitas tot modis dicitur, ac distinctio: quia identitas, & distinctio sunt opposita: sed *Axioma.* ***oppositorum vnum tot modis dicitur, quot dicitur aliud***: ergo,&c. Quot modis autem dicatur distinctio, latè diximus cap.2. vbi consequẽter invenies, quot modis dicatur identitas, seu aliqua esse idem. *Complut.* Complutenses nostri in Physica disp. 17. quæst.2. num.11. in Resumpta, duplicem aliam distinguunt identitatem realem entitativam, propriam, nempè, & impropriam; sicut &duplicem distinctionem realem entitativam, nempè propriam, & impropriam, ad componendum quomodo etiam si actio, & passio realiter entitativè distinguantur, vt ipsi ibidem affirmant, possit dici, vt verè dixit Aristot. *Aristot.* actionem,& passionem,& motum esse idem; sed videantur quoad hoc prædicti Complut. ibidem, quibus inspectis, non mirabimini de his, quæ in aliquibus huius opusculi locis dicam. Item datur identitas moralis, quam videbis infra cap.15.num.114.

32 Signa autem identitatum omnium sunt carentiæ signorum distinctionum: quia illa sunt idem, quę non distinguuntur: & tùnc non distinguuntur, quando non est

ratio, principium, aut signum, quarè distinguantur. Quapropter tùnc aliqua erunt idem realiter, quando non est principium, aùt signum, quarè realiter distinguantur. Et tùnc erunt idem adhuc ratione ratiocinata, quando non datur signum aliquod talis distinctionis. Advertendum tamèn est, posse fallaciter argumentari ex prædicto principio sic: *Quæcumque non distinguuntur in aliqua ratione, sunt idem in illa: sed Equus, & Leo non distinguuntur realiter in ratione hominis, seu, vt homo, & homo: ergo realiter in ratione hominis, seu, vt homo, & homo sunt idem.* Ad quod respondendum est, suppositum esse falsum: quia Equus, & Leo non sunt homines, quòd requirebatur, vt argumentum esset rectum: requiritur quidem, vt tale prædicatum illis conveniat; & quod non sit principium, per quod in illo distinguantur. Signa autem distinctionũ omnium suprà cap. præcedenti assignantur. Specialiter autem tradit Aristoteles lib. 7. Topic. cap. 1. aliqua loca ad probandum, aliqua esse idem; sed quidèm ad prædicta signa reducuntur. Quidam tradunt aliqua principia positiva ad identitatem cognoscendam aliquorum conceptuum, & sumunt illa ex D. Thoma quodlibeto 2. art. 4. ad 1. ita nostri Complut. in Resumpta lib. 2. de generat. disp. 15. quæst. 2. num. 21. & Alij. Primum est, quod tunc aliqui conceptus identificantur, quãdo vnus est de essentia alterius. Secundum est, quãdo licèt vnum non sit de essentia alterius; tamèn vterque est de essentia alicuius tertij. Tertium est, quando licèt vnus non sit de essentia aliterius, neque vterque de essentia alicuius tertij; tamèn proveniunt ab eadem indivisibili forma; sed tamèn ista indigẽt explicatione: nàm si vniversaliter intelligantur, fallunt omnia principia. Primum quidem: quia forma substantialis est de essen-

*Aristot.*

*S. Thom.*
*Complut.*
*Alij.*

essentia compositi Physici, & tamèn distinguitur realiter ab illo distinctione includentis ab incluso. Secundum etiam: quia licèt forma substantialis nó sit de essentia materię primæ, neque materia prima de essentia formæ, & vtraque sit de essentia compositi physici; tamen materia prima, & forma substantialis realiter distinguuntur distinctione excludentis ab excluso. Tertium etiam fallit: quia v.g. in homine voluntas, & intellectus: sensus interni, & externi, licèt proveniant ab eadem indivisibili forma, nempè ab anima rationali; tamèn realiter essentialiter distinguuntur. Quarè solùm intelligenda sunt prædicta principia de cóceptibus metaphysicis. Et sic primum principium tenet, v.g. in rationali respectu hominis. Secundum in animali, & rationali, à quibus metaphysicè constituitur homo. Tertium verò in differentia individuali, & gradu specifico: quia proveniunt ab eadem anima rationali. Sed quia certum est, gradus metaphysicos non distingui realiter: quia solùm sunt tales formaliter per operationem intellectus, & ad probandum sic esse distinctos, pluribus signis indigemus: ideò inter principia, & signa identitatum ista tria non enumeravi.

33 Notetur hìc, quòd identitas rationis est duplex, alia est identitas, quam ratio considerat; sed non facit: & hæc est maxima identitas: quia supponit, non solùm negationem distinctionis in re; sed etiam negationem fundamenti, vt intellectus distinguat, id est, negationem distinctionis fundamentalis, eminentialis, & virtualis. Alia est identitas rationis, quam ratio conficit, vt quando illa quæ realiter differunt, intellectus in vna ratione superiori vnivoca, vèl analoga, considerat, esse idem: vt Petrum, & Paulum in ratione hominis: Petrum, & Leonem, in ratione animalis: accidens,

& substantiam in ratione entis, & hæc est minima identitas: siquidem est idẽtitas secundùm quid: quia est inter ea, quæ simpliciter, & à parte rei differunt in illa ratione, vt patet in exemplis positis. Implicat enim, aliqua esse simpliciter diversa; & simpliciter eadem in eadem ratione, illaque est maior identitas, quæ minùs relinquit distinctionis.

34 Notetur secundo, vt vitetur ęquivocatio inter istos terminos, *differre*, *esse diversa*, *& distingui*: nam vt docet Arist. 5. Metaphis. cap. 9. & lib. 10. cap. 5. *differre, & esse diversum non significant idem.* Nam illa dicuntur *differre*, quæ in aliquo conveniunt, & in aliquo distinguuntur, vt homo, & leo. *Esse autem diversa* dicuntur, & illa, quæ conveniunt in aliquo, & in aliquo distinguuntur: & illa quæ in nullo conveniunt, vt differentiæ simplices. Quapropter latiùs patet *esse diversum*, quàm *differre*, vt idem Arist. affirmavit lib. 4. Metaphis. cap. 2. *Esse distinctum* dupliciter accipitur, vno modo, pro eodem, ac *esse diversum*. Altero modo, & magis vsitato sumitur pro negatione identitatis realis. Videatur Suarez tom. 1. Metaph. disp. 7. sect. 3. num. 6. Tamèn communiter vtimur ad quamlibet distinctionem, iam vno; iam alio ex tribus præfatis terminis, & dicimus, *aliqua differre realiter, distingui realiter, diversa esse realiter. Aliqua differre secundùm rationem, distingui secundùm rationem, & esse diversa secundum rationem.*

Aristot. | Aristot. | Suarez. | Com. vsus

35 Signum maximum identitatis aliquorum inter se, est quod sint idem vni tertio; quòd ita vt certum, & pèr se notum accipitur, vt abiret in commune proloquium his verbis: *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* In cuius proloquij, seù principij explicatione nõ parum laboravère Catholici Doctores, vt salvent illud planè Fidei Misterium

Axioma. | Doct. Cathol.

rium Trinitatis in vnica essentia, id est, quòd dentur tres relationes divinæ Personarum constitutivæ, realiter distinctæ inter se; cum tamèn realiter sint idem cum essentia divina. In primis igitur explicat Capreolus hoc axioma in 1.dist.2.quæst.3.art.1. sic: *Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: vel ratione ipsorum, vel ratione tertij, concedo: à fortiori ratione ipsorum, nego: & sic contingit in divinis, vbi licèt non sint relationes idem ratione ipsarum, seu in ipsis relationibus propter maximum impedimentum oppositionis inter se; identificantur tamèn in ipso tertio. Hanc ipsam tradunt Caietanus, Ferrara, Scotus, & communiter Thomistæ ex D. Thoma quæst.8. de potent. art.2. ad 10. & 1.sentent. dist. 33.quæst. 1. art. 1. ad 2. & addunt nostri Salmantic. tom. de Trinitat. tract. 6. disp.8. dub.1. n. 11. hanc præcisè identitatem inferri ex vi axiomatis; licèt ex alijs circumstantijs, & connexionibus aliquãdo, præcipuè in creaturis inferatur identitas inter extrema ipsa.

*Capreolus.*

*Caietanus Ferrara. Scotus. Com. Thomistæ. S.Thom. Salmant.*

36 Alia expositio traditur ab Ægidio, Argentina, Vazquez, & quàm plurimis Thomistis, & habet fundamentum in Div. Thoma quest.2.de potentia, art.5.scilicèt, *quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, si sint eadem vni tertio complетè, perfectè, adæquatè, & convertibiliter, concedo; imperfectè, incompletè, inadæquatè, & inconvertibiliter, nego. Et sic contingit in relationibus divinis, vbi quælibet ex relationibus identificatur cum essentia incompletè, imperfectè, inadæquatè, & inconvertibiliter: siquidem magis includit realiter essentia divina, quàm quælibet relatio, proptèr negationem oppositionis, nempè quatuor relationes, quas quælibet relatio non includit. Et ratio est: quia eo ipso, quòd non identificetur adæquatè,

*Ægidius, Argentina, Vazquez, Thomistæ, S.Thom.*

tè, completè, &c. cum tertio, non est necessum, quòd tantùm extendatur in identificãdo secum alio extremo, sicut tertium; sed quod solùm inadæquatè identificetur cum extremo, sicut inadæquatè identificatur cum tertio.

37 Tertia explicatio est D. Thomæ 1.p.q.28. art.3. ad 1. his verbis: *Ad primum ergo dicendũ, quòd secundùm Philosophum in 3. Physic. text. 21. argumentum illud tenet, quòd quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his, quæ sunt idem re, & ratione, sicut tunica, & indumẽtum; non autem in his, quæ differunt ratione, vndè ibidem dicit* (id est textu 22.) *quòd licèt actio sit idem motui, similiter, & passio; non tamèn sequitur, quòd actio, & passio sint idem; quia in actione importatur respectus, vt à quo est motus in mobili; in passione verò, vt qui est ab alio. Et similiter licèt paternitas sit idem secundùm rem cum essentia divina, & similiter filiatio; tamèn hæc duo in suis proprijs rationibus oppositos respectus important: vndè distinguuntur ad invicem.* Hæc Div. Thomas. Quapropter licèt posit verificari axioma, quando extrema non opponuntur; secùs autèm, quando invenitur aliqua oppositio. Cum autem inter relationem, & essentiam nulla sit oppositio; inter relationes autem oppositio inveniatur, inde est, quòd ipsa oppositio impediat identitatem, quã possemus adstruere, si inter illas relationes non esset oppositio, vt patet inter relationem paternitatis, & spirationis activę, vbi non invenitur distinctio realis; sed realis identificatio, eo, quòd non ad est inter illa oppositio realis: & hæc interpretatio constat ex verbis relatis D. Thomæ. Vide num. 69. infra.

S. Thom.

38 Quarta, & communis expositio est, casu, quo, illud tertium, cum quo identificantur extrema, sit omninò singulare, & in communicabile pluri-

Com. Doct.

ribus, vt patet in syllogismo expositorio, v.g. *Petrus est animal: sed Petrus est rationalis: ergo aliquod rationale est animal*; secus autem quando est communicabile pluribus realiter suppositis, vt contingit in essentia divina. Qua ratione iste syllogismus non est expositorius: *haec essentia divina est Pater: haec essentia divina est Filius: ergo Filius est Pater.* Et eodem modo dicendum est casu, quo tertium sit communicabile pluribus secundùm rationem: sicut quia animal est communicabile secundùm rationem homini, & equo, non infertur hominem, & equum esse idem inter se: quia sunt idem in animali sibi communi, & communicabili: & ideò hic syllogismus non est rectus, *omnis homo est animal: omnis equus est animal: ergo omnis equus est homo.*

## CAPVT V.

### *De aliquibus distinctionibus in particulari, & terminorum acceptionibus.*

39 EXplicatis iam cómunibus, & generalibus distinctionibus, super est, explicemus alias particulares distinctiones apud Scholasticos valdè vsitatas, & illarum terminorum exponamus acceptiones, vt iam diximus, ad nostrum scopum conducentes, & fiet ordine, quo sequuntur per plura, & diversa capita. Prima igitur distinctio sit hæc: *Secundùm eamdem rationem*: v.g. concedo: *secundum diversam, seu aliàs*, nego; vel ècontra. Quæ maximè succurrit defendentibus: siquidem ista excusantur, saltèm in forma responsionis ad tribuẽdos proprijssimos terminos distinctionum; sufficit quidem illis, v.g. negare propositionem circa illam rationem, circa quam specialiter

*Scholasti*

ter procedit argumětum; licèt circa alias rationes concedatur; vèl ècontra. Nequè est necessum istam distinctionem exponere. Tum, quia ipsa se prodit, supposito intento argumenti. Tum, quia transcenditur in omnibus distinctionibus; siquidem in qualibet inveniuntur diversæ rationes, & secundùm vnam cócceditur propositio, & secundùm aliam negatur.

40 Secunda distinctio est, *materialiter*, v.g. concedo: *formaliter*, nego; aut ècontra. Aliquid se habere materialiter contingit primo, quando aliquid se habet vt materia, vel subiectum respectu alicuius, & sic tale subiectum potest dici materialiter illud, cuius est subiectum, vt videre est in hac propositione, *ignis est calor*: quæ potest distingui sic, *materialiter*, concedo, id est, quòd ignis est materia, sivè subiectum caloris, & hæc est propria acceptio huius termini *materialiter*. Secundò, accipitur *materialiter* pro eo, quòd est se habere de materiali, non secundùm quod importat se habere, vt subiectum; sed secundùm quod se habet ad aliquam rationem, ac si nullo modo se haberet, sicut cum dicimus ignem calefacere medio calore, dicimus colorem rubeum se habere de materiali in igne ad calefaciendum, id est, quòd ita se habet ibi, ac si nullo modo esset, ly *formaliter* etiam patitur aliquas acceptiones. Primò, enim dicitur aliquid tale formaliter; quia est illud, quòd ipsum nomen formaliter significat. Secundò, quia est tale essentialiter; aut per formam receptam, sicut homo dicitur formaliter animal; vel risibilis. Prima, acceptio est magis communis. Secunda, verò magis specialis. Coincidit autèm ista distinctio cum alijs, scilicèt, *entitatiuè*, seù *identicè*, aut *physicè*, v.g. concedo: *formaliter*, nego; aùt èconttra, nam ly *entitatiuè*, aùt *identicè*, seu *physicè*, prout

di-

distinguitur à *formaliter*, sumitur pro eodem, ac *materialiter*. Insuper in cōmuni vsu iam coincidit cum illa celebri distinctione, scilicèt *specificatiuè*, concedo; *reduplicatiuè*, nego. Nam ly *specificatiuè* iam sumitur pro *materialiter*, & ly *reduplicatiuè*, pro *formaliter*. Quapropter indifferenter possumus vti, iam vna; iam altera distinctione. Quid autèm hæc vltima propriè, & rigorosè importet, infra cap. 18. num. 128. dicetur. Nostra autem distinctio in omnibus generibus, immo speciebus argumentorum potest habere locum; hìc autem generibus adaptabimus, & sic ad eius similitudinem aliæ distinctiones, hìc explicandæ, adaptandæ sunt; cum proportione tamèn, & respectu ad vniuscuiusque naturam, vndè sciet vnusquisque qualibet benè vti.

Cōm. vsus.

41 In primis igitur ad argumentum *à causis*, incipiendo tamèn à causa efficienti, applicamus distinctionem. In illa enim ponamus hanc propositionem: *Paries calidus efficit calorem*. Cui respondetur: Paries calidus *formaliter*, concedo, id est, ratione caloris, qui est forma parietis calidi; *materialiter*, nego, id est, ratione ipsius parietis, qui est subiectum, seu materia calidi. Secundò, in genere *causæ materialis*, vt hæc propositio: *calidum potest recipere albedinem*; distinguitur sic: Calidum *materialiter*, id est, ratione entitatis, quę aliàs recipit calorem, concedo; calidum *formaliter*, nego, id est, quòd recipiat ratione caloris. Tertio, in genere *causæ formalis*, huic propositioni: *Calor tribuit eumdem specie effectum formalem subiecto, ac albedo*, applicatur distinctio sic: *formaliter*, id est, vt calor est, nego; *materialiter*, id est, ipsa entitas caloris, subdistinguo, in specie infima, nego; in subalterna, concedo: quia calor, & albedo conueniunt specificè subalternè in ratione passionis, & passibilis qualitatis; non verò in formali,

&

& expressa ratione caloris, aut albedinis. Quartò, in genere causæ finalis: ***vt appetitus sensitiuus movetur à nociuo***: distinguo, ***formaliter***, id est, ita vt ratio motiva appetitus sit esse nocivum, nego; ***materialiter***, id est, secundùm aliquam bonitatem, quâm illud, quòd est alias nocivum, importat, concedo. Et eodem proportionali modo applicatur distinctio argumentis ab effectibus: siquidem eo proportionali modo, quo discurritur erga causas, discurritur erga illarum effectus, vt constat ex opusculo 1. cap. 9. Quapropter non est, cur specialiter illis distinctiones applicemus.

42 Argumentis ab oppositis, & à similibus etiam congruit huiusmodi distinctio: nam aliquod cócretum, v.g. potest esse, vel simile, vel oppositum alteri, vel ratione materialis, id est, subiecti; vel ratione formalis, id est, formę. Et sic debet distingui secundùm quod congruit sententiæ Respondentis. Idem dicendum est de argumentis à deffinitione, & à divisione (argumenta à nomine iam dictum est in primo opusculo parum, aùt nihil conducere ad rectam probationem, & ideò de illis agere ommittimus) nàm deffinitio, & divisio possunt esse illius, quòd in concreto, v.g. se habet de materiali; & non illius, quòd se habet de formali: sicquè quando sumitur argumentum affirmativum à deffinitione, v.g. conveniente materiali subiecti ad probandam aliquam passionem de toto subiecto, vèl concreto, concedatur propositio materialiter; negeturque formaliter, v.g. si loquendo de Petro albo dicatur, ***hoc album est animal rationale***, distinguitur maior, hoc album ***materialiter*** sumptum est animal rationale, concedo; ***formaliter***, nego. Et concessa minori, distinguitur eodem modo consequens: quia deffinitio convenit soli materiali con-

concreti, scilicèt Petro; non verò formali, scilicèt albedini: immo neque toti aggregato. Argumento *à testimonio, seu auctoritate*, eodem modo applicatur distinctio, ac remanet dictum.

43 Tertia distinctio est, *simpliciter*, v.g. concedo; *secundùm quid*, nego. Cuius explicatio ex dictis proportionabiliter applicatis, & ex acceptione horum terminorum constabit, sicut & aliarum distinctionum: quare solùm acceptiones terminorum curabimus ostendere. Maximè cum applicatio in finem reservetur opusculi. In primis igitur potest ly *simpliciter* accipi in duplici differentia, vt docet D. Thomas 3.part.quæst.50. art.5.in corpore, vno modo dicitur, secũdum quod *simpliciter* idem est, quòd *absolutè*, sicut simpliciter dicitur *id, quòd nullo addito dicitur*, vt docet Philosophus 2. Topic. cap.11. sicut, vt docent Theologi, Corpus Christi dicitur idẽ vivum, & mortuum, quia est suppositum idem. Et 2.2. quæst.58. art.10. ad 2. tribuens S.Thomas eamdem distinctionem, inquit, quòd bonum simpliciter sumptum, sumpto *simpliciter* pro *absolutè*, est esse bonum secundũ suam naturam (quamvis aliunde possit vitiari.) Et hic notetur quædam optima regula D.Thomæ 3.part. quæst.16. art.8. in corpore, quòd quando aliquod prædicatum potest in differenter convenire toti, vel parti, si in sola parte inveniatur, non debet totum dici simpliciter tale; sed secundùm quid, & cum addito: & ideò non dicimus simpliciter *Æthiops est albus*; sed cum addito, id est, *secundùm dentes*. Si autem aliquod prædicatũ natum est convenire soli parti, si in illa invenitur forma, à qua provenit tale prædicatum, potest de toto dici simpliciter, vt *Petrus est Cryspus*. Quia crispitudo solùm nata est cõvenire Petro, secundum capillos. Altero autèm modo *simpliciter* est idem,

S.Thom. Aristot. Theologi. S.Thom. S.Thom.

ac *totaliter*, qua acceptione Corpus Christi vivum, & mortuum non est simpliciter idem: quia vita est aliquid de essentia corporis viventis, quo caret corpus mortuum. Dicitur tertio modo aliquid *simpliciter*, id est *respectiuè ad aliud*; licèt absolutè, & totaliter sit *secundum quid* tale: sicut *medium*, quo aliquid tendit ad finem, non est simpliciter finis; tamen si comparetur tãtum cum principio, quòd per illud tendit in finem, medium habet simpliciter rationem finis. Et albedo dicitur simpliciter ens, seù habere esse, respectivè ad quemdam modum accidentalem, vel privationem, vel tantum in esse accidentis; etiam si absolutè albedo non habeat simpliciter *esse*, hoc est, sit tantũ ens secundùm quid: quia est essentialiter entis ens, id est substantiæ, vt

S.Thom. docet D. Thomas 11. Metaphis. lect.3. lit.B. & alibi

Aristot. passim cum Aristotele. Videatur locis aductis opuscul.1. cap.5. n.28. & 29. Quartò etiam modo accipitur pro eo, *quòd per posterius dicitur*, id est, *secundum quid*, non ratione sui; sed ratione alicuius adiuncti, sicut *ens in alio* dicitur simpliciter de accidenti, ita D. Thom. quæst.7. de verit. art.5. ad 3. S.Thom. *Secundùm quid*, potest etiam sumi multipliciter. Primò pro *omninò*, seu *totaliter*, sicut privatio habet esse omninò secundùm quid. Secundò *absolutè*, seu *secundum suam naturam*, vt accidens incompletum. Tertiò, *respectiuè*, id est, *quando licèt absolutè habeat esse simpliciter*; *comparatum ad aliquid perfectius dicitur secundum quid*. Qua acceptione Arist. lib.1. de Aristot. ortu, & interitu, cap.3. dixit, generationem ignis esse generationem simpliciter; generationem verò terræ esse generationem secundum quid; cum tamèn vtraque generatio sit simpliciter talis: quia est generatio completæ substãtię. Videantur ibi Complut. in Resumpta, disp. 2. Complut. quæst. 1. num. 1. Quibus accep-

acceptionibus intellectis facilè vnicuique erit, causis, effectibus, oppositis, &c. præfatam distinctionem applicare. Videatur infra num. 98. vbi alia traduntur exempla, & authorizata doctrina.

## CAPVT VI.

***De alijs distinctionibus, & terminorum acceptionibus.***

44 QVarta distinctio est, *essentialiter*, vel *substantialiter*, v.g. concedo; *accidentaliter*, nego. Dicitur aliquid *essentialiter* de alio, primo *formaliter*, vt quando est de essentia illius, vt rationale, & animal de homine: & quodlibet prædicatum transcendentale, vt *ens*, *aliquid*, &c. Hic adverte, quòd *essentia est potentia ad esse.* Quidditas dicitur *id, quòd explicatur per deffinitionem essentialem.* Quæ duæ rationes, vel differunt virtualiter; vel quoad expressionem secundùm diversa placita, *Natura est principium radicale motus, & quietis, eius, in quo est ipsa natura*; & hæc ratio differt virtualiter ab essentia substantiæ, & se habet respectu illius ad modum passionis, seu proprietatis. Et proportionabiliter dicendum est de quolibet accidēti, quòd est natura quædam accidentalis, & secundum conceptum naturæ subsequitur ad se ipsum secundum rationem essentiæ consideratum, sequela tantùm virtuali, sicut etiam tantùm virtualis invenitur distinctio inter vtrasque rationes. Secundò, dicitur aliquid *essentialiter consecutivè*, vt quando non est de essentia illius, de quo prædicatur; sed consequitur ad illam, vt *passio* potest dici ipsa essentia consecutivè; quia consequitur ad ipsam essentiam, sicut videre est apud nostros Complut. in logica, disp. 13. quæst. 1. vbi ad quamdam auctoritatem Div. Thomæ ex opusc. 52. circa finem sic dicentis: *Propria ratio quantitatis, quæ com-* Complut. S. Thom.

***competit quantitati, quatenùs quantitas est, est ratio mensuræ.*** Respondent, quòd ratio mensuræ non est essentia quantitatis; sed quid consecutum ad ipsam essentiam per modum proprietatis ipsius. Tertiò, dicitur aliquid essentialiter tale, ***radicaliter***, id est, quòd sit radix essentiæ illius, à quo dicitur tale, vt patet ex eisdem Complutens. ibidem dicentibus, quòd essentia quantitatis, quæ consistit in habere partes extra partes, dicitur ratio mensuræ radicaliter; id est, quòd sit rationis mensuræ radix. Quartò, sumitur ***concomitanter***, id est, quòd concomitetur essentiam alicuius, sicut vna passio respectu alterius; nam licèt vna sit essentialiter diuersa ab alia, dicitur alia ***essentialiter concomitanter.*** Et etiam passio respectu essentiæ: quæ acceptio constat ex D. Thoma quæst. 20. de verit. art. 2. ad 4. exponente quamdam auctoritatem S. Maximi, vbi ***ait, appellat essentiale, id quod nunquam essentiam relinquit.*** Quintò, accipitur esse essentialiter tale ***respectiuè***, id est, quòd licèt sit extra essentiam alicuius, non tamen distinguitur tantùm ab illa essentia, ac illud, cui comparatur: & consequenter respectivè ad illud, potest dici formaliter talis essentia.

*Complut.* *S. Thom.* *S. Maximus.*

45 ***Accidentaliter*** tale dicitur aliquid, primò, ***quando est extra essentiam illius, de quo dicitur:*** Quod potest fieri dupliciter, ***realiter***, scilicèt, & ***secundùm rationem.*** Tunc est extra essentiam rei secundùm rationem, quando solùm differt ab essentia secundùm rationem, vt conceptus naturæ est secundùm rationem extra conceptum essentię, ita Complut. in Physic. disp. 7. quæst. 1. num. 9. in Resumpt. ex D. Thoma 1. part. quæst. 39. art. 2. ad 3. Tùnc verò est extra essentiam realiter, quando distinguitur realiter ab essentia; & adhùc dupliciter: vèl per modum accidentis logici: vèl phy-

*Complut.* *S. Thom.*

physici. Tunc dicitur aliquid convenire alicui accidentaliter logicè, seu per modum accidentis logici, quando illud, quòd est extra essentiam rei, est entitativè substantia, sicut existentia substantiæ respectu essentiæ eiusdem substantiæ: & aurum respectu illius, quòd deauratur. Tùnc verò convenit per modum accidētis physici, seu prædicamentaliter, quando illud, quòd est realiter extra essentiam rei, est accidens entitativè, & prædicamentaliter, sicut quantitas respectu substantiæ: & hoc adhuc dupliciter: vel ita, vt proveniat ab intrinseco, vt proprietates naturæ; vel ita, vt proveniat ab extrinseco, *vt vbi*, & elevatio instrumentorum separatorum, & calor in aqua. Secundò, potest aliquid dici de alio accidentaliter, *respectiuè*, quando scilicèt, licèt sit de essentia rei, de qua dicitur; tamèn comparatur ad aliud prædicatum essentiale magis intraneum. Quapropter cōparativè ad hoc magis intraneum, illud dicitur accidentale respectu essentiæ. Esse tale *substantialiter* est, primò, quod est in genere substantiæ entitativè, vèl directè, vel indirectè, sivè sit entitas totalis, sivè partialis, sivè modus. Secundò, *substantialiter*, sumitur pro *essentialiter*.

46 Quinta distinctio est inter duos ex tribus terminis, id est *per essentiam*, *per naturam*, *& per participationem*, v.g. *per essentiam*, concedo; *per naturam*, vèl *participationem*, nego, aut ècontra. *Per essentiam convenire aliquid alicui*, est, primò, ita quod non sit extra conceptum essentiæ, adhùc virtualiter, vt *esse* respectu Dei. Secundò, ita quod realiter non differat ab essentia, vt attributa Dei, respectu ipsius Dei. Tertiò, sumitur pro eo quod est *convenire per naturam*, & hoc multipliciter, vt statim dico. *Convenire aliquid alicui per naturam*, sumitur primò *strictissimè*, pro eodem

dem, ac *convenire naturaliter, vt primum in illo genere*, sicut calor dicitur convenire igni per naturam; quia ignis est primus in genere calidorum. Secundò, *naturaliter strictè*, pro his, quæ necessariò fluunt ab essentia: vt propriæ passiones, quæcumque illæ sint, conveniunt naturę, cuius sunt proprietates. Tertiò, *largè*, vt quædam accidentia communia concomitantia naturam, respectu ipsius naturę, vt albedo nivi. Quartò, *largissimè* pro rebus non repugnantibus naturæ, quòd est convenire per non repugnantiam. Item potest dici convenire per naturam negativè, vel privativè, vel contrariè, vel præsuppositivè, vel concomitanter, vel respectivè, &c. de quibus partim remanet dictum, & partim in proprijs locis dicetur. *Convenire aliquid alicui per participationem est, quando habet tale esse participatum ab alio.* Participare autem nihil aliud est, quam *partialiter accipere*, vt inquit D. Thomas 2. de Cœlo, lect. 18. lit. G. Quod non est intelligendum ita, vt arripiat vnum ab alio aliquam partem, sicut arripiuntur pecuniæ; sed ita vt habeat aliquam similitudinem, vel formalem, vel virtualem cum illo, à quo habet tale esse participatum, vel communicatum; nunquàm tamen debet habere talem similitudinem eminenter, aùt vnivocè; alias esset perfectius, vel æqualis perfectionis cum eo, à quo participat; sed aliquantulum deficiēter; vt calor mixti cum calore ignis, vel cum maxima defficientia, vt creatura participat *esse*, & perfectiones Dei. Quæ quidem participatio potest esse primo ratione naturę, vt natura creaturarum est participatio Dei. Secundò, ratione proprietatum, vt mixtum dicitur participatio elementorum, vt docent Complut. lib. 2. de generatione, disp. 11. q. 3. in Resumpt. Tertiò, potest esse, vel participatio alicuius naturæ, vt gratia ha-

S.Thom.

Complut.

habitualis est participatio formalis naturæ divinæ: vel participatio alicuius attributi, seu proprietatis, vt sapientia creata est participatio formalis sapientiæ Dei. Quartò, participare sumitur pro recipere sicut dicitur subiectũ participare accidens, quòd in illo recipitur, & materiam participare formam substantialem, quam recipit, seu à qua informatur.

47 Sexta distinctio est, *incõmunicabiliter*, v.g. concedo: *communicabiliter*, nego. Aliquid potest esse communicabile, primò, per modum *vniuersalis*, sicut gradus genericus, & specificus communicantur suis inferioribus. Secundò, per modum *formæ inhærentis*, sicut albedo communicatur subiecto. Tertiò, per modum *partis*, sicut forma communicatur materiæ, & materia communicatur formę, quę sunt partes totius: & idem dicendum est de partibus integralibus. Quartò, per modum *quidditatis, & naturæ*, eo modo, quo humanitas in quolibet supposito humano invenitur, non vt in subiecto, seu comparte; sed sicut in habente talem naturam. *Esse autem incommunicabile* etiam fit quatuor modis, per correspondentiam, & contrapositionem ad quatuor enumeratos modos communicabilitatis. Quæ omnia possunt expressè videri apud nostros Complutens. in Resumpt. lib.2. de gen. disp.15. quæst.1. num.4. *Complut.*

48 Septima distinctio est, *per se*, v.g. concedo: *per accidens*, nego. Quadruplex est modus *dicendi per se*, vt docet Arist. lib.1. post. cap.4. Primus, in quo essentia, vel pars illius prædicatur de subiecto. Secundus, in quo prædicatur propria passio. Tertius, cum substantia dicitur ens per se. Quartus, quando subiectum est per se causa prædicati, vt in hac propositione: *Medicus medetur.* Cæterùm, vt benè advertunt nostri Complutenses in logic. disp.18. quæst.2. num.8. tertius modus non *Arist.* *Complut.*

est *dicendi per se* propriè; sed *essendi per se*. Quartus autem importat modum *causandi per se*; non verò *prædicandi*: nàm illa propositio: *Medicus medetur*, est accidentalis, & quinti prædicabilis. *Esse per se*, sumitur tripliciter, vt docent nostri Complut. in logic. disput. 12. quæst. 1. Accipitur primò, vt contraponitur *ad esse per accidens*, & significat, quòd habet vnam essentiam, quo pacto convenit omnibus prædicamentis. Secundò, vt distinguitur contra *per aliud*, vèl *ab alio*, & significat ens à se, qua ratione soli Deo convenit. Tertiò, vt distinguitur *ab esse in alio*, & significat stare per se, & independenter ab alio, tanquam à substentante: & hoc modo convenit substantiæ ponibili in prędicamento. Quibus possunt alij modi coniungi: & sic: Quartò, est tale aliquid *per se primò*, vt quando est tale non per aliud; reliqua tamen sunt talia per ipsum, & ly *non per aliud*, vt notat Caietanus in 1. part. quæst. 3. art. 2. §. *ad hoc dicitur*. Excludit non solum extrinseca, sed etiam intrinseca, vt sunt partes rei, sicut dicitur 7. Physic. & ideò quod movetur ratione partis, non dicitur moveri per se primò. Quintò, est aliquid *per se secundò*, vt illud quod habet quamdam necessariam connexionem, vel ex natura sua, vel ex intentione operantis, cum illo, quòd per se primò est tale, à quo etiam dependet, qua ratione propriè passiones naturæ intenduntur per se secundò. Notetur tamèn, quòd omnia quæ per se intenduntur; & non *per se primò*, dicuntur intendi *per se secundo*; non verò dicuntur *per se tertiò*, aut *per se quartò*, quamvis sit tertius, aut quartus effectus per se primò non intentus. Et similiter est de alijs, quæ ad terminum, vel rationem primariam sequũtur. *Per accidens esse tale* dicitur, primò, vt contraponitur *ad esse per se*, primo modo explicato, & sig-

Complut. — *Caietanus* — *Aristot.*

significat nō habere vnam essentiam; sed aggregatum esse plurium, sicut album quod includit subiectum, & albedinem. Secundò, vt est idem, ac *esse per aliud*, vel *ab alio*: & hoc modo vniversaliter loquendo convenit omni creaturæ: siquidem omnis creatura habet esse per Deum, & à Deo. Et in creaturis etiam vna habet esse per aliam, vel ab alia, quòd est idem, ac non habere esse ratione sui; sed ratione alterius. Tertiò, per *accidens concurrere*, vel *se habere*, est, ac si nullo modo se haberet, vel ad summum materialiter respectu rei, quæ tractatur, vel circa quod aliquid versatur, vt dictum est suprà cap.5. num.40.

49 Octava distinctio est, *ratione sui*, v.g. concedo: *ratione alterius*, nego. *Ratione sui terminare* est duplex, *vt quo*, vel *vt quod*. *Terminare ratione sui*, *vt quo*, est quod sit ratio terminandi, sicut bonitas ratione sui, *vt quo* terminat voluntatem: quia est ratio, quare bonum, *vt quod* terminat illam. *Terminare, vt quod ratione sui*, est quod includat prædictam rationem terminandi per modum formæ, sicut bonum terminat voluntatem: quia includit bonitatem, quæ vt diximus est ratio terminandi. *Ratione alterius terminare*, etiam est duplex. Primo *ratione alterius terminantis per se vt quo*, & hoc modo, id quod terminat ratione sui *vt quod*, dicitur terminare ratione alterius, nempè alterius rationis terminandi. Secundò, *terminare ratione alterius terminantis per se vt quod*, sicut patet in illis, qui absolutè secundariò terminant, seu qui absolutè sunt effectus, aut termini secundarij, vt propriæ passiones respectu generationis substantialis, & idem proportionabiliter dicitur in alijs rebus. Advertendum tamen est, quantum ad causam receptivam, & effectivam, quòd duæ causæ possunt per se, *vt quod* concurrere respectu eiusdem, si

vna concurrat ratione sui; alia verò ratione alterius, & per participationem ab alia, vt contingit in anima rationali, & homine ab illa constituto; nam anima est receptiva immediatè *vt quod*, ratione sui, operationum spiritualium: & consequenter *primario*; homo verò recipit *vt quod* illas ratione animæ: quia illam includit per modum personæ: & consequenter *secundario*, vt benè advertit Caietanus, quem referunt, & sequuntur nostri Complut. lib. de anima, disp. 6. quæst. 3. num. 15. in Resumpta. Ex quo deducitur, idem dicendum esse quantum ad efficiendas prædictas operationes spirituales. Ratio est: quia istæ operationes, vtpotè valdè immanẽtes, manent receptæ in principio, à quo eliciuntur: sed manent receptæ in anima, *vt quod*, ratione sui, & in homine *vt quod* ratione animæ: ergo eodem modo *vt quod* procedunt effective ab ipsis. Quid sit dici, aut esse tale *vt quo*, & *vt quod*? cap. sequenti explicatur n. 50. immediato.

*Caietanus*

*Complut.*

## CAPVT VII.

### *De alijs distinctionibus, & terminorum acceptionibus.*

50 NOna distinctio sit: *vt quo*, v.g. concedo; *vt quod*, nego. Esse tale *vt quo*, est esse id, quo aliquid est tale *vt quod*, sicut albedo est alba, *vt quo*, quia est id, quo aliquid est album *vt quod*: & humanitas est homo *vt quo*, quia est id, quo, aliquid est homo *vt quod*: & causalitas est causa *vt quo*, quia est id, quo causa causat *vt quod*. Et hoc potest esse primò, per modum formę, vt constat ex exemplis positis. Secundò, per modum connotati, & obliqui. Tertiò, per modum conditionis inferẽtis aliquid, vel impedientis, de quo videri possunt nostri Salmantic. tom. 3. tract. 8. disput. 4. dub. 2. num. 29. Esse tale *vt quod*, est esse tale *Salmantic.*

ab-

absolutè, & in suo ordine simpliciter constitutum, vel affectum per illud, quòd est tale *vt quo*, vt patet in exemplis adductis, & eodem modo multiplicatur. Hic locuti sumus in toto rigore: potest tamèn accipi largè, vt cum terminus *qui* alicuius generationis dicitur ratio, qua alij effectus secundarij terminant: & consequenter se habet largè, & aliquo modo, vt terminus *quo*: effectus verò secundarij, vt coniuncti cum termino *qui* rigoroso se habent, vt termini *qui*.

51 Decima distinctio est: *intrinsicè*, v.g. concedo; *extrinsicè*, nego. *Intrinsicè* idem valet, ac *intranee*; licèt *intraneè*, vt in plurimũ denotet, quòd sit de substantia rei: & extrinsicè idem, ac *extraneè*. *Intrinsicè* quidem aliquid potest esse tale, primò, *essentialiter*, vt quando est de essentia rei, cui intrinsicè cõvenit, vt rationale, aut animal respectu hominis. Secundò, *accidentaliter*, vt quando licèt inveniatur verè, & secundum propriam entitatem in illa re, est tamen extra essentiam illius, sivè entitativè sit substantia, vt existentia substantiæ, sivè accidens, vt albedo. Circa quod videatur suprà cap. 6. num. 45. Tertiò, potest dici aliquid intrinsicè tale *connotatiuè*, vt materia sigillata quantitate dicitur ipsa quantitas connotativè; quia intrinsicè ipsam connotat. Similiter species Angeli respectu rerum existentium hìc, & nunc, quas repræsentat, & actus liber Dei respectu suorum effectuum. Quæ quidem cõnotatio intrinseca fit hìc, & nunc, non per mutationem intrinsecam rerum connotantiũ; sed solùm rerum connotatarum. *Extrinsicè* tale est, primò, *absolutè*, vt quando dicitur, aùt est tale à forma existente intrinsicè in alio subiecto, vt albedo dicitur visa à visione existenti in animali. Secundò, sumpto *extrinsicè* pro *ab extrinseco*, & est, quando licèt inveniatur entitas

formæ intrinſicè in tali ſubiecto; tamen provenit illi ab aliquo agente extrinſeco, vt calor in aqua calefacta, & *ubi*, in ſubiecto exiſtente in loco, eſt intrinſicè in illo, & dicitur quid extrinſecum. Ita

*Complut.* Complut. in log. diſp. 16. quæſt. 2. num. 13. in Reſumpta, reſpondentes ad quādam auctoritatem D.

*S.Thom.* Thomę ex 1.p.quęſt. 110. art.3. & ad aliam ex primo contra gentes, cap.3. Inſuper *extrinſicè* tale dicitur tertiò, vt contraponitur *ad eſſentialiter intrinſicè*, quo pacto, quodlibet prædicatum accidentale, quamtumvis in aliquo ſubiecto intrinſicè inveniatur, dicitur convenire extrinſicè, & hoc modo poſſumus reſpondere ad præcitatas auctoritates. Sed hæc tertia acceptio parùm differt à præcedenti, quantum ad modum ſolvendi argumentum: ſiquidem etiam ſi intrinſicè recipiatur forma in ſubiecto poteſt in vtraque acceptione ſalvari quod ſit quid extrinſecum.

52 Vndecima diſtinctio eſt: *in eſſe rei*, v.g. concedo; *in eſſe attingibilis, vel ſcibilis*, nego. *In eſſe rei convenire aliquod prædicatum alicui*, eſt idem, ac convenire *entitatiuè*, id eſt, entitati rei, non ſecundùm quod eſt attingibilis à tali, vel tali potentia, vel habitu, vt cum dicitur, quòd obiectum viſus eſt imaginabile, reſpondetur quod eſt imaginabile in eſſe rei; non verò vt attingibile à viſu, id eſt ſub eadem ratione *ſub qua*; ſed ſecundùm diverſam incluſam in illo obiecto. Nàm imaginativa percipit obiectum ſub diverſa ratione, ac potentia viſiva. *In eſſe attingibilis, vel ſcibilis convenire alicui aliquod prædicatū* eſt, quod illi conveniat ſecundum quod formaliter eſt terminus, vel obiectum potentiæ, vel habitus, vt omnia prædicata, quæ conveniunt colori, vt terminat, v.g. potentiam viſivam, dicitur illi convenire in eſſe attingibilis. Differt *eſſe attingibile* ab *eſſe ſcibili*, quòd

quòd *esse scibile*, solùm convenit obiectis scientiarum. *Esse verò attingibile* convenit, tàm obiectis scientiarũ, quàm omnium aliorum habituum, & terminis quarumcumque potentiarũ. Quapropter differunt, vt superius ab inferiori. Quomodo aliquid dicatur esse obiectum, vel terminus, videatur infra cap.9.num.60.& præcipuè opusc.1.cap.5.n.23.& 32.

## CAPVT VIII.

### *Explicantur aliæ distinctiones.*

53 DVodecima distinctio est: *in intentione*, v.g. concedo: *in executione*, nego. *Respici aliquid in intentione* est, quòd sit in quod natura, vel potentia, vel agens propendit tanquam in finem. Finis autem multiplicem habet acceptionem, vt constat ex dictis in primo opusculo cap.3. n.9. Item finis, alius est talis absolutè, & est qui habet omnia requisita, vt appetatur fine respectu ad alium, qui non sit vltimus; siquidem ad finem vltimum omnes fines, quamvis absolutè tales, ordinantur. Alius est finis *respectiuè*, vt medium, quòd respectu principij dicitur finis; & respectu finis se habet vt principium, & hoc dicitur *secundum quid finis*: quia nec terminat, nec appetitur ratione sui; sed ratione ipsius finis absolutè talis: quare non est necessum in illo maiorem bonitatem quærere, vt finalicet, quam in principio; sed hæc inquisitio semper in fine absolutè tali fiat. *Respici aliquid in executione* est, quòd in exercitio, v.g. productionis effectus attingatur, aut possit attingi. Vndè aliquid potest esse primariò inspectum *in intentione*, vt finis; aut *in executione*, vt effectus immediatè attactus: & secundariò inspectum in *intentione*, vt media, viæ, & tendentiæ, & ea, quæ sunt propter finem; aut in *executione*, vt ea quæ subsequuntur ad effectum prima-

xum, vel per dimanationem supponentem influxum verum. Alia est consecutio, aut sequela logica, seù consequentiæ, & quando hoc modo aliquid sequitur ad aliud, dicitur sequi *illatiuè*, id est, per bonam consequentiam syllogisticam, vt *est homo: ergo sequitur, quòd sit animal.* Vide num. 122. & 130.

58 Decima septima distinctio est: *exigentialiter*, v.g. concedo; *formaliter*, nego. Dicitur aliquid *tale exigentialiter*, quando tale formaliter non est; exigit tamen illud, vel ad sui perfectionem in *esse*, vel ad causandum aliquem effectum, &c. sicut essentia hominis non est formaliter risibilitas; dicitur tamèn exigentialiter risibilitas, quia scilicèt exigit illam, vtpotè illius propria passio. Terminus *formaliter* manet explicatus suprà cap. 5. num. 40.

59 Decima octava distinctio est: *concomitanter*, v.g. concedo; *causaliter*, nego. Dicitur aliquid *se habere concomitanter ad aliud*, seù *esse concomitanter illud*, primò, *propriè*, & *rigorosè*, vt quando simul est cum illo; tamèn non procedit vnum ab alio, sicut de nutritione, & augmentatione, docent nostri Complut. lib. 1. de generat. disp. 5. quæst. 2. Dicitur secundò *largè*, pro quacumque simultate, seu concomitantia, etiam si vnum pendeat ab alio, vel detur mutua causalitas ad invicem in diverso genere causæ, qua ratione propriæ passiones dicuntur concomitare essentiam, cuius sunt proprietates, vt docent ijdem Complut. loco citato, disp. 2. quæst. 7. Pro quo notandum est quibus modis aliqua dicantur simul, quòd videbis apud nostros Complut. in logic. disp. 16. quæst. 3. §. 2. & potest inferri cum maiori abundantia ex diversitate prioritatũ cap. præcedenti explicata: nam tot modis possunt aliqua esse simul, quo possunt esse priora. *Causaliter tale* dicitur, quòd causat illud tale, vt videre est apud S. Thom.

*Complut.*

*Complut.*

*S. Thom.*

in

in 1. dist. 5. quæst. 1. art. 1. in corpore, vbi affirmat, quòd actus nõ potest prædicari de essentia, nisi *causaliter, quia essentia est principium actus, & sic valet, essentia causaliter est actus* (id est actio) sicut actio generativa in hoc sensu dicitur vnio causaliter: quia causat ipsam vnionem: & ècontra. Etiam eclypsis communiter dicitur, *quòd est interpositio terræ*, cum tamèn ex tali interpositione causetur. Et potest multiplicari *esse causaliter tale*, sicut multiplicatur genus causarum, & illarum species: ad quod videatur opusculum primum cap. 5. Hic superaddere placuit quamdam divisionem causæ efficientis, quæ ibi nec dicitur, nec citatur, & est *in imperativam, & elicitiuam.* Imperativa est, *quæ medio aliquo, vel aliquibus actibus imperat, vt alia aliquem actum eliciat*, & hoc videtur in potentijs eiusdemmet causæ, v.g. hominis, nam alia imperat, & alia exequitur imperium. Elicitiva est, *quæ elicit operationem, seu actionem.* Si autem inquiras, quid sit elicere actionem? Respondeo, *elicere actionem, esse, quòd ab illa immediatè fluat*, si sit virtus immediatè operativa, vt patet in potentia visiva, quę potest elicere visionem, & consequentèr esse causa illius elicitivè. Et intellectus, aut voluntas, aut vtraque potentia (secundùm diversas opiniones) imperare talem visionem, & consequenter illam causare imperativè.

60 Decima nona distinctio est, *obiectiuè*, vel *terminatiuè*, nego; *subiectiuè*, seu *substractiuè*, concedo. Dicitur aliquid *subiectiuè*, seu *substractiuè*, tale, primò, pro eodem, ac *entitatiuè*, id est, secundum suam entitatem. Secundò, accipitur pro eodem, ac *esse subiectum illius*, seu *substractum*, pro eodem enim vsurpantur ab Auctoribus: vt *esse albedinem subiectiuè*, est *esse subiectum albedinis*: qua ratione est idem, ac *esse tale* ma- Commun.

quilibet terminus explicatur, nàm hic solum superest breviter ostendere, quibus modis aliquid dicatur *prius*, ex quibus manifestè deducetur, quomodo aliquid se habeat *primario*, vel *secundario*. Dicitur verò aliquid *prius alio* multipliciter. Primò, *prioritate dignitatis, & excellentiæ*, vt inter animalia homo: inter Principes Rex, aut Imperator. Secundò, *prioritate ordinis*; vt partes cuiuscumque compositi respectu illius. Tertiò, *prioritate subsistendi consequentia* (quæ optimè potest appellari *prioritas logica*, vel *contrahibilitatis*) quo pacto genera dicuntur priora speciebus, quia ex genere ad speciem non subsistit consequentia affirmativè, seu quia in logica compositione, seu contrahibilitate prius intelligitur genus, quam species. Quartò, *prioritate naturæ*, seu *causalitatis*, vel *independintiæ*, quæ consistit in eo, quòd vnum sit causa alterius, cum quo simul est tempore, & hac ratione omnis causa actu causans est prior suo effectu. Quintò (apud Theologos) *prioritate originis*, quam Aristoteles non agnovit, quæ solum invenitur inter Personas divinas, consistitque in eo, quòd vna persona sit à qua alia procedit absque vlla dependentia inter se, quæ solùm est *prioritas à quo*; sed sine dependentia; & non *in quo*, quia non datur aliquod instans reale, aut rationis, in quo sit, aut posit esse vna persona sine alia. Sextò, *prioritate à quo*, cum dependentia vnius ab alio, vt inter causam actu causantem, & effectum. Septimò, *prioritate in quo temporis*, & hoc modo dicitur prius, quòd pro aliquo tempore antecedit ad aliud, vt mane ad meridiem. Item *prius tempore* dicitur aliquid, quando est prius generatione, vt id quod generatur per se, est prius eo, quòd ratione illius generatur, licèt in eodem tempore reali. Sed hæc acceptio est impropria, ita

*Theologi, Aristot.*

D. Tho-

*materialiter*, de quo suprà cap.5. *Aliquid esse tale obiectivè* est, primò, *quòd habeat esse tale per modum obiecti aprehensi, vel aprehensibilis*, vt color qui est obiectum visus, potest dici visus obiectivè, quia est obiectum illius. Secundò, *quòd habet esse tale in intellectu tantùm*, vt entia rationis: aut *ad summum possibiliter, & non à parte rei*, vt essentię creatę ab æterno dicuntur habere esse extra Deum, vt patet ex

Complut. nostris Complut. in logic. disp.4.quæst.1. *Esse terminativè tale*, est *esse terminum illius talis*, vt si dicas generationem substantialem, esse alterationem, seù actionem alterativam *terminativè*. Quotuplex autèm dicatur obiectum, videatur in procemialibus Logicæ, & Physicæ apud

Complut. nostros Complut. Terminus autèm *alius specialiter dictus, & rigorosè*, id est ille qui solum dicitur terminare, & non produci ab eo, quòd terminat, *vt subsistentia* est terminus naturæ, & extrema puncta lineæ terminant lineam. Alius *est largè, & communiter dictus*, qui dicitur ille, *qui secundùm quamlibet rationem complet, & finit aliquem respectum, aut operationem*. Advertatur hìc, quòd terminus *quo* alicuius productionis, non est necessum, quòd producatur; sed sufficit, quòd communicetur, & constituat terminum *qui*, vt anima rationalis est terminus *quo*, generationis hominis, & tamen non producitur per ipsam generationem; sed creatur à Deo; constituit quidem terminum *qui*, & per generationem materiæ vnitur, vt docent nostri Complut. Complut. Thomistæ cum pluribus Thomistis, lib.1.de gener.disp.2. q.3. in Resumpta. Advertatur secundò, quòd licèt terminus in aliquo genere sit illud, quòd ita supponit formam, seu naturam talis generis, vt compleat illam in tali genere, vt subsistentia, & existentia in genere substantiæ, puncta lineæ in linea; tamèn alius modus termini affertur à Cóplut. Complut.

nostris in lib. de anima, disp 9.quæst.2.num.13.in Resumpta, & consistit in hoc, quòd resultet ex mixtione aliquorum, & hoc modo complet illa,ex quibus resultat; ipsis tamèn non permanentibus formaliter; sed virtualiter, sicut elementa manent in mixto.

61 Vigesima distinctio est, *radicaliter*, seù *fundamentaliter*, v.g. concedo: *formaliter*, nego. *Esse tale radicaliter*, est, *esse radicem illius talis*, vt anima rationalis dicitur intellectus, aùt voluntas radicaliter, quia est radix harum potentiarum. Radix alia est, vt *quo* alia, vt *quod*. Pro cuius explicatione videatur cap.7. n.50. Item alia adæquata; alia inadæquata: alia proxima; alia remota, & cætera, quæ possunt distingui iuxta distinctiones explicatas, & explicandas, quarum explicationes videātur proprijs locis. Ly *fundamentaliter* ferè coincidit cum *radicaliter*, & aliquando etiam accipitur pro *materialiter*, vt quando dicitur naturam specificam esse vniversalem fundamentaliter, id est, esse subiectum denominabile ab vniversalitate. Ly *formaliter* suprà cap.5. explicuimus.

62 Vigesima prima distinctio est: *connexiuè*, v.g. concedo; *disparatè*, nego. *Se habere aliquid connexiuè*, aut *esse tale connexiuè*, est, *quòd habeat connexionem cum illo tali*. Connexio autèm est multiplex, *Prima* connexio essentialis, vt inter prædicata eiusdem essentiæ, & inter ea, quæ ad aliquid essentialiter requiruntur, sivè sit ad hoc, vt causet, vel opponatur; sivè ad hoc vt causetur, &c. Insuper, & inter illud, quòd habet talem essentialem dependentiam, & illud, à quo illam habet, vt materia prima cum forma substantiali, ad hoc, vt ipsa materia existat. *Secunda* est connexio necessaria,& est inter ea,quæ nectuntur,& dicunt habitudinem necessariam, vt inter essentiam, & proprietatem,

cau-

causam, & effectum. *Tertia* est connexio contingens, vt inter subiectum, & accidens commune. ***Se habere disparatè***, est, ***nullam intercedere connexionem***, vt inter hominem, & lapidem.

63 Vigesima secunda distinctio est, ***remotè***, seù ***mediatè***, concedo: ***proximè***, seù ***immediatè***, nego; isti termini explicantur vt sonant, nèc opus est immorari. Solùm notetur, aliquid posse esse remotius, aut immediatius alio, & minus remotum posse dici proximum respectu alterius, si comparetur ad magis remotum.

## CAPVT X.

*Alia distinctio valdè necessaria enucleatur.*

64 Vigesima tertia distinctio potest exerceri inter duos ex quinque terminis, scilicèt, ***positiuè, priuatiuè, negatiuè, præcisiuè***, & ***permissiuè***. Qui quidem termini indigent explicatione: nam ex eorum ignorantia frequéter inter disputádum non parvæ oriuntur æquivocationes. Igitur apud Philosophos, & Theologos ens positivum reale appellatur illud, ***quòd habet esse à parte rei, vt contraponitur ad priuationem, & negationem entis***, quo pacto Petrus, materia prima, forma substantialis, accidentia ponibilia in prædicamento, & modi, seù affectiones, vt vnio substantialis, modus intensionis, motus, mutationes, & cætera huiusmodi sunt entia positiva. Vnde ***esse tale positiuè***, sumitur primò, ***propriè loquendo***, & est ***esse tale ratione alicuius entitatis, rei, aut modi positiui***, vt esse album positivè, est habere propriam entitatem albedinis. ***Influere positiuè*** est ***influere medio influxu positiuo***, id est, actione, motu, aut causalitate reali. ***Repugnare aliquid alicui positiuè***, est ***habere aliquid positivum per quod illi repugnet***. Secundò, dicitur aliquid ***esse tale positiuè, largè, & impropriè***, pro eodem, *Philosophi Theologi.*

ac *esse re vera tale*, qua ratione etiam dicitur, quòd negatio positivè est negatio, id est, re vera est negatio, & privatio positivè est privatio, id est, re vera est privatio. Ens rationis positivum sumitur per correspondentiam ad entia positiva realia: itaque sicut relatio realis est ens positivum reale, sic relatio rationis est ens positivum rationis: & sicut in secunda acceptione privatio relationis realis, *positivè*, id est, re vera est privatio realis; sic privatio relationis rationis, *positivè*, id est, re vera est privatio rationis. Denominationes extrinsicæ dicuntur propriè *positivæ* quando proveniunt à formis positivis; & *largè, & impropriè* à forma negativa, aut privativa; siquidem re vera sunt tales.

65 *Privatio* accipitur primò *strictè*, & sic est *carentia formæ in subiecto apto, & nato pro tùnc ad habendam talem formam*. In quo sensu accepit eam D. Thomas 1. part. quæst. 12. art. 4. ad 2. Vndè non dicitur aliquid *esse privatum forma* in illo tempore, vel instanti, in quo illi non debetur, vt canis non est privatus visu ante nonum diem à sua nativitate, sed negatus: quia pro illis diebus non debetur, nequè aptus est ad videndum; tamèn mihi in hac parte certum est in illis diebus habere potẽtiam visivam, sicut & cœteras potentias ex instanti, non solum suæ nativitatis; sed etiam suæ generationis, & tantùm esse negatum exercitio videndi ob indispositionem organi naturalem, sicut pro eodem tempore est negatus exercitio potentiæ generativæ ob indispositionem naturalem organi, & tamen re vera habet potentiam generativam pro tali tempore. Et in hoc sensu dicitur cœcus, in quo, valdè distinguitur à cœcis per defectum potentiæ. Secundò, accipitur *minus strictè* pro carentia formæ in subiecto apto ad habendam formam, etiam si illi non de-

D. Thom.

debeatur, neque pro tunc, neque pro alio tempore; tamen potest naturaliter illam recipere; vel violenter ab alio agente, vt calor in aqua: vel sine violentia, vt albedo in Petro. Hæc tamèn acceptio est media inter privationem, & negationẽ strictè sumptas. Quarè in hoc sensu *esse tale priuatiuè*, est *esse priuatum forma, per quam constituitur res in esse talis*, vt esse privativè album est esse privatum albedine. Tertiò, *convenire aliquid alicui priuatiuè* solet accipi, præcipuè apud Iuristas, pro convenire illi soli sine consortio alterius, vt convenire aliquam potestatem Papæ *priuatiuè*, est, quòd ille solus habeat talem potestatem; in quo sensu potest homo dici *priuatiuè* animal rationale; sed propriè hæc acceptio non attinet ad Phylosophos.

*Iurista.*

66 Negatio sumitur multipliciter. Primò, pro *enuntiatione remouente prædicatum à subiecto*, vt *homo non est equus*; quæ potest appellari *negatio in mente*, seu *intellectu*; siquidèm est oratio formata ab intellectu, seù mente, de qua agunt Dialectici. Secundò, sumitur pro negatione in re, quæ est fundamentum ad negationem in mente, seu enuntiationem negativam secũdum illud, *ex eo, quòd res est, vel non est, dicitur oratio vera, vel falsa*. Hæc autem *negatio in re*, de qua pręcipuè Metaphysici, & Physici, primò, accipitur *strictè, & proprie*, & est *carentia formæ in subiecto positiuè inepto ad talem formam*, in quo sensu accepit eam D. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 4. ad 2. suprà citatum, sicut Angeli, & quælibet alia creatura habet negativè esse Dei, id est, sunt negata eiusdemmet perfectionis Dei, eo modo, quo est in Deo; siquidem sunt incapacia prædictæ perfectionis, & petra dicitur negata visu, aùt auditu. Secundò, *latè pro carentia formæ in subiecto, abstrahendo ab eo, quòd subiectum sit aptum, vel ineptum ad*

*Dialectici.* *Axioma.* *Metaphisici. Phisici.* *S. Thom.*

*talem formam*: Quo pacto compræhendit tàm negationes, quàm privationes strictè, & propriè dictas, & hoc sensu dicitur *negatiuè tale*, quòd caret forma, quæcumque illa sit, sivè connaturalis, sivè contingens, sivè violenta, aut repugnans. Tertiò, *latissimè* accipitur *pro quacumque negatione, & non esse, absque determinatione, & connotatione subiecti*, & sic compræhendit etiam ipsum nihil, & res significatas per terminos infinitos, *vt non homo, non sedens*. In quo sensu potest homo dici negativè equus; sed quidem hæc acceptio est parum doctrinalis.

67 Præter istas acceptiones sunt aliæ valdè vsitatæ apud Scholasticos, quæ partim ad præcedentes reducuntur; sed hìc ponuntur, vt diversæ in ordine numerali; Quare quartò in ordine potest sumi negatio *pro in differentia*, in quo sensu *aliquid dicitur negatiuè tale, quando est indifferens ad illam formam, per quam constituitur tale*, ita vt nec illam positivè, & necessario exigat, nec illi repugnet secundùm se, seu non habeat principium, per quod sit formaliter tale, nec per quod non sit formaliter tale, vt communiter docent Thomistæ, quos sequuntur nostri Complut. in logic. disp. 3. quæst. 3. num. 17. in Resumpt. docentes, naturam specificam secundum se à parte rei esse negativè communem, & similiter negativè singularem, quia ex se neque est vniversalis, neque singularis, sed vtrumque accidit illi iuxta. Illud D. Thomæ cap. 4. de ente, & essentia: si quæratur, *vtrum ista natura possit dici vna vèl plures? neutrum concedendum est: quia vtrumque est extra intellectum humanitatis, & vtrumque potest illi accidere*; in quo etiam sensu dicunt communiter Thomistæ, quos sequuntur nostri Cóplutenses lib. 1. Physic. disput. 3. quæst. 3. materiam primam ex se esse vnam specificè negativè, quia sci-

Scholast. Com. Thomistæ. Complut. S. Thom. Com. Thomistæ. Complut.

ſcilicèt ex ſe non habet aliquid poſitivũ per quod determinetur potius ad hanc ſpeciem, quam ad aliam; ſed eſt indifferens ad quamlibet. Quintò, ſumitur negatio pro carentia alicuius, quòd ex ſe ſubiectum exigit, vel mediatè, vèl immediatè, ita vt nec habeat oppoſitum poſitivè, quo poſitivè, illud, quo caret, excludat, in quo ſenſu noſtri Complut. in Reſumpt. lib. 2. de gener. diſput. 15. quæſt. 1. num. 5. inquiunt, quòd ſi natura Angelica exueret ſubſiſtentiam ſibi ſuperadditam, ſolùm ſiſteret in ſe, quaſi negativè, & radicaliter: quia licèt non eſſet in alio habente ipſam, nihil tamèn haberet, per quod prædictam communicationem, & communicabilitatem excluderet: & quod linea ſeparata ab vltimo puncto, eſt finita negativè; quia non ſe amplius extendit (id eſt, non habet aliquid poſitivum, per quod magis extendatur;) & tamèn non eſt finita poſitivè: quia nihil habet, quòd eam poſitivè terminet, impediendo cótinuationem cum alia linea: & quod natura accidentalis ſeparata ab inhærentia ſolùm negativè, & aptitudinaliter eſt in alio; quia videlicèt, quantum eſt de ſe petit eſſe in ſubiecto; & alias non habet aliquid per quod ſit in illo. Sextò, ſumitur negatio aliter apud plures Doctores appellantes finem vltimũ negativè *vt quod*, illud obiectum, quòd non appetitur propter aliud; quamvis nèc omninò appetitum ſatiet, nec appetantur omnia propter ipſum, vt de obiecto mortaliter peccaminoſo, docent Vazquez, & Suarez apud noſtros Salmantic. tom. 3. tract. 8. diſp. 4. dub. 1. num. 5. eſſe finem vltimum negativè peccatoris in mortali peccato exiſtẽtis. Quę quidem acceptio parùm differt à præcedenti, vt intuenti conſtabit; & licèt Salmanticenſes non admittant prædictum finem vltimum negativè; affirmant tamẽ ibidem dub. 2.

*Complut.* *Doctores.* *Vazquez.* *Suarez.* *Salmant.*

num. 28. quodlibet bonum particulare, quòd est obiectum peccati mortalis, habere quodammodò rationem finis vltimi negativi, *vt quo*. Quatenus est id, *quo*, non per modum formæ; sed vt conditio impeditiva, vt inquiunt num. 29. bonum proprium redditur incapax relationis ad bonum divinû: & consequenter redditur ipsum, scilicèt bonum proprium peccatoris (non verò quodlibet obiectum) finis absolutè vltimus negativè: Quarè licèt non conveniant cum Vazquez, & Suarez in sententia; conveniunt in acceptione: Placuit hæc exempla in prçsenti adducere, vt quisque queat prædictos intelligere terminos, eisque liberè vti pro opportunitate.

68 *Præcisio* est idem, ac *separatio, distinctio, segregatio, vèl abstractio*. Tamèn Auctores moderni, qui specialiter de præcisione loquuntur, quasdam sigillatim tradunt acceptiones, quas convertibiliter non admittunt in prædictis terminis, ideòque oportet illas in præsenti adducere, nè circa hunc tàm vsitatum terminum aliqua ad sit ignorantia. Præcisio est duplex, alia formalis, alia obiectiva. *Præcisio formalis* est *separatio, vel abstractio se tenens ex parte intellectus*; id est, est ipse actus intellectus, quo res præscinditur. *Præcisio obiectiua*, est *quæ se tenet ex parte rei intellectæ, seù obiectæ cognitioni*; quæ quidem præcisiones diversimodè exponuntur ab Auctoribus. Moderni enim affirmant, quòd *tunc datur præcisio obiectiua, quando per cognitionem præscindêtem attingitur vnum prædicatum in obiecto, & non attingitur aliud, realiter identificatum cum illo*. Tunc verò datur *præcisio formalis, quando per cognitionem præscindentem attingitur tota entitas realis obiecti, non tamèn expressè in ordine ad vnum connotatum*. Hæc tamèn expositio displicet Mag. Fr. Ioanni Martinez de

*Moderni.*

*Ioann. Mart. de Prado.*

de Prado, ex quo ferè omnia quæ in hoc numero dico, non tàm adduxi, quàm transcripsi, vt videre est apud ipsum lib. 1. logic. q. 13. §. 2. Ipse autem sic explicat his verbis: *Facilè nos hoc exponimus notando, quòd præcisio potest dici obiectiua, primò, vel quia datur in rebus, antequam intellectus præscindat, & distinguat, & hæc appellatur præcisio in re, & reperitur inter res realiter, & formaliter distinctas actu ante operationem intellectus, vt inter rationalitatem hominis, & hinnibilitatem equi. Secundò, vel dicitur præcisio obiectiua, quia licèt non differant realiter; differunt tamèn actu formaliter ex natura rei, vt loquitur Scotus, vel metaphysicè, vt alij loquuntur, & hæc etiam est obiectiua in esse rei. Denique potest esse præcisio obiectiua in esse obiecti; quia præcisio, & distinctio formata à ratione, fundatur in eminentia obiecti, & distinctione formali virtualiter tali, & est distinctio in re fundamentalis, & redditur actualis per intellectum; & hæc dicitur præcisio obiectiua in esse obiecti; quia ratio, & distinctio aliqualiter est in re, quia est illi aliquid correspondens in re, vt signatum signo, quòd totum sumitur ex D. Thoma in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. in corpore, & ad quintū. Vndè apud nos est præcisio formalis solùm, vèl quia solum est distinctio rationis ratiocinantis, vel quia rationes obiectiuæ sunt transcēdentes. Præcisio verò obiectiua datur, cum reperitur virtualis distinctio, vèl formalis, aut alia maior; siquidem distinctio formalis ex eo, quòd detur actu in re erit præcisio obiectiua in esse rei; si verò solum detur in re virtualiter, seù eminentèr, erit distinctio, seu præcisio obiectiua in esse obiecti cognitionis tantum.* Et statim prosequitur num. 15. *Vltimo notandum quod duplex solet distingui præcisio intellectus, quædam dicitur præcisio negatiua; alia est præcisio positiua. Prima, est cum abstrahitur, vèl præscinditur vnum prædicatum*

Scotus. Alij. S. Thom.

non

*non cogitando de alio. Secunda, quando dicitur positiuè hoc prædicatum non est illud, & quia hæc fit secunda operatione intellectus, ideò vocatur abstractio, vel præcisio affirmationis, vel compositionis. Quia tamen abstractio negatiua fieri potest, sola aprehensione vnius alio relicto, dicitur abstractio, vel præcisio simplicitatis, & de ista verificatur à D. Thoma* 1. *part. quæst.*85. *art.*1. *ad primũ, illud commune proloquium abstrahentium non est mendacium. Sicut sine falsitate videmus colorem, non sentiendo saporem, vel odorem, quamvis in re sint simul in pomo color, odor, & sapor.* Hæc ille. Sed advertendum est esse valdè communem distinctionẽ præcisionis in *negatiuam*, & *purè præcisiuam*, & hoc modo explicari; scilicèt, *præcisio negatiua* est, *quando ita vnum præscinditur ab alio, vt negetur illi subiecto convenire realiter.* Vel *duo prædicata ita præscinduntur, vt denotetur non identificari. Præcisio verò*

S. Thom.

Axioma.

*præcisiua* est, *quãdo vnũ ita ab alio præscindit, vt licèt realiter identificentur; tamen non considerat, quæ ad illud formaliter, aùt expræssiuè pertinent; sed solùm quæ ad se expectant*, vt licèt animal, & rationale in homine realiter identificentur inter se, & cum ipso homine, potest nihilominus considerari ratio, vel conceptus rationalis, non cogitando quid homo, aut conceptus animalis importet.

69 *Esse permissiuè tale* est, *esse illud, quòd permittitur. Permittere autem aliquid* est *locum relinquere ad illud*: ex quo sequitur, quòd *esse permissiuè tale*, non sit, quòd *necessario sit tale*; sed *quod non sit vndè positiuè, & necessario impediatur à tali esse*: & consequentèr in aliqua materia, vel ratione alicuius formæ, aùt formalitatis potest reddi positivè tale: sicut ex eo quod aliquid sit vegetativum, non prohibetur esse sensitivum; sed permittitur, quòd in aliquo casu possit vegetati-

ti-

tivum coniungi cum sensitivo, in quo sensu explicant plures Thomistæ illam expositionem Div. Thomæ 1.part. quæst.28. art.3. ad 1. & alibi circa illud axioma: *quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se,* vbi inquit S. Thomas esse verum *si sint vni tertio idem re, & ratione,* vbi prædicti Thomistæ inquiunt, quòd distinctio rationis ratiocinatæ extremorum à medio, non infert necessario distinctionem realem inter se; sed solùm permissivè, casu scilicèt quo, inter illas formalitates, quæ ratione ratiocinata distinguuntur à medio, sit realis oppositio, vt patet in relationibus divinis, & moventur ad hoc, propter quamdam rationem eiusdem D. Thomæ qua vsus fuit secundo contra gentes, cap.9. ad probandum potentiam Dei, & illius actionẽ esse realiter idem; quæ sic se habet. *Quæ vni, & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem: diuina autem potentia est eius substantia: eius etiam actio est eius substantia: ergo in Deo non est aliud potentia, & aliud actio.* Et tamen isti Auctores docent inter potentiam, & actionem esse distinctionem rationis ratiocinatę. Alij autem Thomistæ affirmant, solum esse rationis ratiocinantis, & sic non indigent præfata explicatione.

*Thomistæ.* *S.Thom.* *Axioma.* *S.Thom.* *Alij Thomistæ.*

## CAPVT XI.

### *Explicantur alia distinctio, & terminorum acceptiones.*

70 Vigesima quarta distinctio exercetur inter duos ex his quatuor terminis, scilicèt, *vniuocè, æquiuocè, analogicè, & denominatiuè.* Constat enim, istos terminos distingui. Quid autem importent, si quis ad satietatem scire desiderat, videat nostros Complut. in logic. disp. 10. de analogia, & disp. 11. de conceptu entis. Nobis in pręsenti sufficiat adducere, vnivocorum, æquivocorum, analogorum,

*Complut.*

rum,& denominatiuorum deffinitiones ex Ariſtot. in ante prędicamĕtis,quas adducunt noſtri Complut. loco citato. *Vniuoca dicuntur, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accomodata eſt eadem.* Quare *uniuocè convenire cum aliquo in aliqua ratione*, eſt, *quòd conveniant ſimpliciter in nomine, & in re ſignificata per tale nomen*, vt æquus convenit cum homine in ratione animalis, quia nomen *animal*, & res ſignificata per illud, conveniunt illis ſimpliciter. Poſſunt autem aliqua convenire vniuocè, vel in ratione generica ſuprema, vt in ratione ſubſtantiæ: vel in ratione generica intermedia, quæ etiam appellatur ratio ſpecifica ſubalterna, licèt ſecundùm diverſam formalitatem, vt in ratione corporis, generabilis, mixti, &c. vel in ratione ſpecifica atoma,& infima, vt in ratione hominis.

*Ariſtot.*

71 Poteſt autem dubitari, vtrum ſupra prædicamenta poſsit dari aliqua ratio vnivoca, in qua diverſorum prædicamentorum entia valeant vnivocè convenire? Vtrùm inſuper ſupra Deum,& creaturas? & ſuper ens reale, & rationis? Ad quam dubitationem reſpondendo, tribuam vobis doctrinam, qua à pluribus anxietatibus vos liberos faciam.

72 Reſpondeo igitur, quòd ſi prædicamĕta conſiderentur abſolutè,& ſimpliciter,& in ordine entis, aut naturæ, non habent rationem aliquam vnivocam, neque ſpecificè, neque genericè. Ratio eſt: quia prædicamenta abſolutè, & ſimpliciter, & in ordine entis, aùt naturæ conſiderata, dicuntur, & ſunt ſuprema genera: ſed ſuper ſuprema genera vt talia, nequit dari aliqua ratio vnivoca, neque ſpecificè, neque genericè; aliàs non eſſent genera ſuprema: ergo. Tùm etiam, quia ſupra prædicamenta conſiderata abſolutè, & ſimpliciter, & in ordine entis, aut naturæ, ſolùm datur ens, tantùm in eſſe

en-

entis,& naturę considerandum: sed ens, vt sic consideratum, non est vnivocum respectu prædicamentorum, vt docent Aristot. D.Thomas, & communiter Thomistæ, de quo videri possunt Complut. in logic.disp.11. ergo prædicamentis nequit dari aliqua ratio vnivoca in ordine entis, aut naturę, seù absolutè,& simpliciter loquendo. Idemque dicendum est respectu Dei, & creaturarum: & respectu entis realis, & rationis, vt ipsi Complut. loco citat. cum communi doctrina expresse affirmant,& probant. Videantur infra numer.77. rationes.

Aristot. S.Thom. Com. Thomistæ. Complut.

Com.doct.

73 Si autem loquamur de vnivocatione respectiva, id est, secundùm quod dicunt respectum ad aliquam formam, vel potentiam, vel habitum, dico, prædicamenta habere supra se rationem vnivocam, non solum genericam; sed etiam specificam, tàm subalternam, quàm atomam, & infimam. Et similiter hoc ipsum affirmo respectu Dei, & creaturarum: & respectu entis realis,& rationis. Hæc doctrina est à fortiori Aristotelis, & D.Thomæ, & omnium Thomistarum. Et antequam probetur conclusio, supponendum est ex communi Thomistarum doctrina contra Vazquez, vt testantur nostri Complut. in logic. disp.19. quæst.4. §.1. num.19. in Resumpta, *vnitatem, & distinctionem scientiarum (& proportionabiliter potentiarum, & aliorum habituum) desumendam esse ex obiecto, non in esse rei; sed in esse scibilis, & quatenus obiectum est. Insuper quod, vt obiectum posit transfundere vnitatem, & distinctionem in scientiam, debet præhabere eamdem vnitatem: quoniam specificatum ideò est vnum; quia specificativum est vnum; siquidem vnum quodque habet esse tale à suo specificativo: ergo nequit esse magis vnum, quam suum specificativum: ac proinde, vt scientia habeat vnitatem specificam ab obiecto, debet in ipso eadem vni-*

Aristot. S.Thom. Thomistæ.

Vazquez. Complut.

*vnitas splendere*. Hæc illi. Ex quo sequitur manifestè, quòd si scientia, aut potentia est vna vnivocè vnitate generica, obiectum erit vnum vnivocè vnitate generica. Si autem scientia fuerit vna vnivocè vnitate specifica subalterna, obiectum similiter hanc habebit vnitatem: & consequentèr, quæ continentur sub illa ratione obiectiva vt tali, erunt idem vnivocè in ratione aliqua specificè subalterna. Quod si scientia, aut potentia est vna vnivocè vnitate specifica, atoma, & infima, obiectum erit vnum vnivocè, specificè, atomè, & infimè, & quæ continentur sub tali ratione, convenient vnivocè in ratione superiori specifica, atoma, & infima.

74 Similiter dicendum est, quando plura, etiam si magnore in esse entis differant, cóveniunt in respiciédo aliquam formam, quam possunt recipere, vel à qua possunt denominari. Nam si forma fuerit vna genericè, etiam illa plura, quæ conveniunt in respiciendo talem formam, erunt idem genericè in ratione subiecti talis formæ: si verò forma fuerit vna specificè subalternè, aùt infimè: etiam illa plura, quæ conveniunt in respiciédo talem formam, convenient vnivocè specificè subalternè, aùt infimè in ratione subiecti talis formæ. Quam doctrinam videbis apud Magist. Fr. Ioannem à S. Thoma in log. quæst. 7. de genere, art. 2. ad 3. quod argumétum sic se habebat. *In definitione generis non potest importari subiectum vnum, &c. ergo male ponitur in definitione quod genus est id, quòd prædicatur. Antecedens verò manifestum est: quia id, quòd substernitur naturæ generis, non est vnum, neque potest vnico conceptu concipi: substernitur enim intentioni generis tàm ens reale, quàm rationis: tàm accidens, quàm substátia: ergo non est vnum subiectum*. Ad quod respondet his verbis: *Respondeo, multos torqueri hoc* *Ioann. à S. Thom.*

ar-

*argumento, sed tamen meo videri in omnium sententia solvendum est, siue subiectum importetur ex parte principalis definiti, siue vt denominatiuè definitum, & ex cõsequenti importatum. Et eadem difficultas inveniri potest in quocumque concreto importante subiectum valdè amplum, vt verum, bonum intelligibile, &c. quorum subiectum tàm in ente reali invenitur, quàm in ente rationis; in substãtia, & accidenti. Dico ergo quod in illo concreto non importatur subiectum vnum vnitate naturæ, vèl esse; sed vnitate capacitatis, & receptibilitatis illius formæ, seu intentionis: Quidquid enim habet capacitatem illius formæ, per modum vnius subiecti, hoc est, vnius receptibilis significatur, licèt sint diversæ naturæ. Sicut dicunt Theologi, quòd* Theologi. *in illis verbis hoc est corpus meum, per ly hoc, intelligitur contentum sub speciebus, id est, quidquid sub illis speciebus esse potest, siue sit corpus vivum: siue mortuũ; siue panis, siue homo: sic nomine substracti generis intelligimus quidquid est capax genereitatis, siue sit reale, siue non; dummodo conveniat in hac ratione capacitatis, & si non conveniat in quidditate naturæ, & vnitate.* Hucusque ille. Et apud nostros Complutenses simile invenitur, & clarius, in logica disp. 10. quæst. 1. §. 1. ad primam obiectionem in Resumpt. Complut. Obiectio sic erat contra deffinitionem æquivocorum: *Nam quod deffinitur debet esse species, ex Arist.* Aristot. *8. Metaph. textum 9. ergo vnivocum: ergo æquivoca nequeunt deffinire.* Ad quã respondent sic: *Respondetur, quòd licèt æquivoca secundùm suos conceptus obiectiuos significatos per nomen æquivocum, sint simpliciter diversa, atquè ideò indeffinibilia vnica deffinitione: nihilominus si sumantur, prout denominantur à secunda intentione æquivocationis, sunt vnum specificè. Ratio est: quia intentio æquivocationis, quæ est deffinitum in hac deffinitione, & à qua denominantur æqui-*

*æquivoca, est quædam species secundæ intentionis, quæ æqualiter participatur ab his, vel illis æquivocis.* Hæc Complutenses.

75 Quæ ratio potest magis expendi: ex quo constabit manifestissimè hæc doctrina: nam subiecta respicientia aliquam formam, nõ possunt prout sic magis, aut minus extendi, quam ipsa forma: ergo si forma est vna in specie infima, subiecta illius vt explicant esse talia, erunt vnum in specie infima. Si autem forma fuerit vna genericè, etiam subiecta illius, vt talia, erunt vnum genericè. Consequentia constat, antecedens autẽ probatur quoad primam partem: quia subiecta respicientia aliquam formam secundùm quod illam respiciunt, non se extendunt ad alias formas; alias non considerarentur, vt respiciunt talem formam; sed vt respiciunt illam, & alias: ergo subiecta respicientia aliquam formam, nõ possunt prout sic, magis extendi, quam ipsa forma. Quoad secundam partem est etiam manifestum: quia vt respiciunt illam formam, omnes conveniunt in respiciendo illam secundum rationem, secũdum quam respiciunt, vt constat ex terminis: ergo non minus se extendunt in respiciendo formam, quam ipsa forma, vt ab illis taliter respicibilis, seu respecta. Insuper potest quoad vtrãque partem breviter, & efficaciter suaderi antecedens: nam subiectum respiciens aliquam formam, & forma respecta se ad invicem commensurantur; ita vt in subiecto repugnet capacitas ad recipiendam formam, si in forma non est capacitas, vt à tali subiecto recipiatur. Et similiter repugnat formam habere receptibilitatem, seù capacitatem, vt à tali subiecto recipiatur, si in subiecto non est capacitas ad illam recipiendam: ergo subiecta respicientia aliquam formam, non possunt prout sic, magis, nèc minùs extendi, quam ipsa for-

forma. Et hæcmet ratio proportionabiliter applicata militat inter subiectum denominationis, & formam denominantem: & inter potentiam, aut habitum, & obiecta formalia illorum, vt intuenti constabit. Quæ doctrina remanet etiam probata. Opusc. 1. num. 23.

76 His ergo suppositis, suadetur assertio, quoad omnes partes, in primis quoad prædicamẽta: nam prædicamẽta sunt cognoscibilia præscindendo ab hoc, quòd cognoscantur scientificè, aut probabiliter: ergo prout sic, dicunt ordinem ad facultatẽ cognoscitivam, præscindendo ab hoc, quòd sit scientia, vel opinio: sed facultas cognoscitiva præscindendo ab hoc, quòd sit scientia, vel opinio est ratio generica habitus cognoscitivi: ergo prædicamẽta prout sic, respiciunt aliquam facultatem, quæ est vna vnivocè vnitate generica: ergo ipsa prædicamenta in ratione obiecti cognoscibilis, præscindendo ab hoc, quòd cognoscantur scientificè, aut probabiliter, sunt vnum vnivocè vnitate generica. Hic discursus patet manifestè ex dictis. Insuper prædicta prædicamenta cõveniunt in hoc, quòd est respici à Metaphysica; siquidem sunt propria illius obiecta, vt communiter docent Thomistæ, & Metaphisici extra Scholam D. Thomę, vt testatur N. Blasius à Conceptione in sua Metaph. disp. 1. q. 2. §. 1. num. 16. sed Metaphysica est vna vnitate specifica atoma, & infima: ergo prædicamenta in ratione obiecti Metaphysicæ conveniunt vnivocè vnitate, specifica, atoma, & infima. *Thomistæ comm. Metaphisici. N. Blasius.*

77 Et eisdem rationibus suadetur, Deum, & creaturas convenire vnivocè, genericè, & specificè in ratione obiecti. Nam Deus, & creaturæ conveniunt in hoc quod est cognosci, vel esse cognoscibiles, præscindendo ab hoc; quòd cognoscantur per intellectum, aut Metaphisicam: ergo prout sic, di-

cunt respici ab aliqua ratione virtutis cognoscitivæ præscindendo ab hoc, quòd sit intellectus, aùt Metaphysica: ergo sicut ratio virtutis cognoscitivæ præscindens ab intellectu, & Metaphysica, est ratio vnivoca genericè; ita ratio cognoscibilis præscindẽdo ab hoc, quòd cognoscatur per intellectum, & Metaphisicam est ratio generica, & quæ cõveniunt in tali ratione, vt Deus, & creaturæ, conveniunt vnivocè genericè. Insuper, nam Theologia, & Philosophia cõveniunt vnivocè genericè in ratione scientię: ergo obiectum Theologiæ, & obiectum Philosophiæ conveniunt vnivocè genericè in ratione obiecti scientiæ: sed Deus est obiectum Theologiæ, & ens creatum, id est, ens mobile, est obiectum Philosophiæ: ergo Deus, & ens creatum conveniunt vnivocè genericè in ratione obiecti scientię. Quod autem conveniant vnivocè specificè infimè, probatur. Nam Metaphisica est vna scientia in specie infima, vt docent ex D.Thom.opusc.42.cap.3. nostri Complut. in logica disp.19.quæst.4. §.3. num. 28. in Resumpta, & num. 26. dixerant esse communem doctrinam Thomistarum: ergo obiectum illius, vt tale, est vnum in specie infima: ergo illa, quæ conveniunt in ratione obiecti Metaphisicæ, cõveniunt vnivocè in aliqua ratione specifica infima in esse obiecti: sed Deus, & creaturæ conveniunt in ratione obiecti Metaphisicæ; siquidẽ pertinent simpliciter ad illius obiectum: ergo Deus, & creaturæ conveniunt vnivocè specificè infimè in ratione obiecti: & consequenter in hac ratione solo numero differunt.

*S.Thom. Complut. Com.Thomista.*

¶ Nec refert, si contra hanc tam fundatam doctrinam, & hic num.73. probatam, & opusc.1. cap. 5. num.23. optimè explicatam, objicias, sequi eadem inconvenientia ex huiusmodi vnivocatione respectiva inter Deum, & crea-

creaturas, ac sequuntur ex vnivocatione absoluta, & in esse entis, & naturæ: stareque easdem rationes: ergo vel vtrobique concedenda; vel vtrobique neganda est. Sequela probatur: Nam ideò nequit dari ratio vnivoca, vel conceptus præcisus, in esse entis, & naturæ respectu Dei, & creaturarum, quia sequeretur primò, quod natura, & essentia Dei componeretur ex illa ratione superiori, & ex propria differentia: & consequenter natura, & essentia Dei non esset simplicissima; sed composita, quòd repugnat illius summæ, & infinitæ perfectioni. Secundò sequeretur, Deum non esse purissimũ actum; sed admistum potentialitate; siquidem constaret ex potentia, & actu, id est, ex illa ratione superiori contrahibili, & ex propria differentia contractiva. Tertiò sequeretur, essentiam Dei non esse infinitam; siquidem clauderetur terminis essentiæ, scilicèt, genere, & differentia, sicut & quælibet alia creatura. Quartò sequeretur, creaturam, & Deum æqualiter participare aliquam rationem realem: sed hoc omninò implicat; siquidem, vel illa ratio realis est infinita, & sic nequit convenire creaturæ. Vel est finita, consequenterque repugnat, vt Deo conveniat. Vel præscindit ab vtroque, & hoc etiam est implicatorium: tum quia in Deo non datur vera, & realis formalitas, seu ratio, quæ non sit determinatè infinita. Tum, quia in creatura nulla est ratio, aut formalitas vera, & realis, quæ non sit determinatè finita, & limitata, vtpotè quid creatum: Hæc omnia apertè militant in prædicta vnivocatione respectiva; siquidem est in aliquo reali: ergo, &c.

¶ Non inquam refert: siquidem ex tali vnivocatione respectiva nullum sequitur incõveniens. Non primum, secundum, & tertium, quia Deus secundum suam simplicissimam, purissimam, actua-

 lis-

lissimam, & infinitam essentiam, & naturam obijcitur intellectui,& voluntati, & cuilibet habitui, qui ad ipsum terminetur. Quod si finito modo Deũ infinitum,purissimum,simplicissimum, & actualissimum attingant, non est, quia Deus, aut eius essentia, deponat, aut privetur sua perfectissima infinitate, simplicitate, actualitate, & puritate; & re vera induat cõpositionem, potentialitatem, & finitudinem:hoc enim est omninò implicatorium, sicut est, quòd Deus non sit Deus. Provenit quidem hìc modus finitus, quo finito modo potentiæ creatæ, & habitus attingunt ipsum Deum, ex ipsa limitatione,& finitudine prædictarum potentiarum,& habituum non valentium infinito modo illum cognoscere, & amare. Vnde modus attingendi Deum in qualibet potentia, aut habitu commensuratur cum sua maiori, vel minori limitatione, & virtute, & ex visceribus (vt sic dicamus) illius oritur.Ideòque ratio *sub qua* Deum attingunt est finita,qua constituitur formaliter obiectũ in ratione obiecti formalis, vt dictum est opusc. 1. cap.5. num.23. Quapropter talis ratio extrinsecè se habet ex parte Dei; siquidem Deus nequit in se recipere intrinsecè aliquã rationem finitam. Et hoc modo denominatur Deus, aut eius essentia *cognoscibilis ab intellectu*; *& amabilis à voluntate*, &c. sicut proportionabiliter quando actu cognoscitur ab intellectu, aut amatur à voluntate, denominatur extrinsecè *cognitus*, *aut amatus*; siquidem visio, cognitio, aut amor non recipiuntur intrinsecè in Deo, nec aliquid ab illis causatum. Hæc enim omnia extrinsecè se habent respectu Dei: & ideò non immutat eius essentiam, & naturam; supponitur tamen vt ratio *qua* in ipso Deo, eiusque essentia, & natura, non repugnantia, seu capacitas, vt à creatura, possit cognosci, &

amari, quæ fundatur in illius veritate, aut entitate, & bonitate infinita, purissima, simplicissima, & actualissima, experteque totius compositionis, potentialitatis, limitationis, aut imperfectionis: & ideò ab omnibus Doctoribus vno ore dicitur absolutè, Deum contineri sub obiecto intellectus, voluntatis, Metaphisicæ, &c. Tamen si vnivocatio esset in esse naturæ, & secundum rationes intrinsecas sequerentur re vera omnia inconvenientia supra relata in obiectione, vt per se patet. Vndè nec sequitur quartum incóveniens; siquidem iam diximus, rationem vnivocam in esse obiecti potentiæ creatæ, aut habitus esse quidem finitam; sed in Deo est quid extrinsecum, & extrinseca denominatio proveniens à predictis facultatibus creatis potentibus illum attingere: & hac ratione Deus dicitur *attingibilis ab illis*, seu *illarum obiectum*, quia ipsę possunt Deum, vel cognoscere, vel amare; non autem quia Deus habeat intrinsecè aliquam realem rationem exigentem positivè, & dicentem respectum verum fundamentalem ad prædictas potētias, in quo fundetur aliqua realis relatio ad illas. Quæ doctrina fundatur in Aristotel. S. Thom. quos concorditer sequuntur Doctores vt referunt, & sequuntur nostri Complut. in logica disp. 14. quæst. 4. §. 3. siquidem abstruunt, relationes tertij generis, id est mensuræ, & mensurabilis non esse mutuas. Et rationem assignat S. Thomas 5. Metaphis. lect. 17. quia licèt ex parte mensurabilis, id est, scientiæ, vel potentiæ sit aliqua ratio realis fundandi; secus verô ex parte mensuræ, seu obiecti, quia solum est quid rationis: sed quia ratio *quæ* obiecti solet obiectum absolutè appellari, intelligendum est, non nuda, sed vt reduplicativè connotat potentiam, vel habitum: quæ connotatio adhuc non est in Deo prædicatum formale

Doct. omnes. Aristot. S. Thom. Comm. Doct. Complut.

male intrinſecum. Et hoc modo terminat,& extrinſecè actuat potentiam; quamvis re vera modus ſpecialis, quo v.g. habitus tendit in obiectum eſt ratio *ſub qua* illius.

78 Quantum ad ens rationis, & ens reale, id ipſum ex eadem doctrina oſtenditur: nàm Logica, & Philoſophia cõveniunt vnivocè genericè in ratione ſcientiæ: ergo illarum obiecta conveniunt vnivocè genericè in ratione obiecti ſcientiæ: ſed obiectum Logicæ eſt ens rationis, & obiectum Philoſophiæ eſt ens reale, nempè ens mobile,vt communiter docent Thomiſtę cum D.Thoma: ergo ens rationis, & ens reale conveniunt vnivocè genericè in ratione obiecti ſcientię.Inſuper intellectus hominis, v.g. eſt vnus in ſpecie infima: ſed ens reale, & rationis conveniunt in ratione obiecti intellectus; ſiquidem obiectum illius eſt ens in tota ſua latitudine, vt compræhendit, tàm ens reale creatum, & increatum, quàm ens rationis; nam ſi ens rationis non eſſet cognoſcibile ab intellectu ſimpliciter, nõ poſſet dari ſcientia de illo: ſed hoc eſt falſum; ſiquidem vt diximus Logica eſt ſcientia, cuius obiectum eſt ens rationis: ergo ens rationis, & ens reale conveniunt vnivocè in ſpecie infima in ratione obiecti intellectus. Vide opuſç.1.cap.5.num.23.

*Com. Thomiſtæ. S.Thom.*

79 Quod autèm Deus, & creaturæ: omnia prædicamenta: & ens reale, & rationis conveniant vnivocè, tàm genericè,quàm ſpecificè in ratione ſubiecti, ſeù capacitatis ad aliquam formam, probatur: nam omnia prædicta poſſunt denominari à ſecunda intentione rationis:ſed ſecunda intentio rationis eſt ratio generica formæ: ergo ſubiecta denominabilia à tali forma conveniunt genericè in ratione ſubiecti denominabilis.Inſuper omnia prædicta poſſunt denominari à ſecunda intẽtione termini, v.g. categorematici ſingularis

de-

determinati: sed huiusmodi secunda intentio est vna in specie infima atoma: ergo & subiecta vt talia. Quod quidem argumentum respectu prædicamentorum, & entium rationis, est manifestius; siquidem omnia possunt denominari genera,& aliqua ex præcontentis sub illis possunt denominari species, &c. quæ secundæ intentiones sunt species infimæ. Insuper hoc ipsum argumentum potest fieri in alijs subiectis respectivè ad formas reales, quas possunt recipere, vel à quibus possunt denominari, vt homo, & equus, licèt in esse entis differant specificè; atamen in ratione subiecti albedinis, sunt vnum in specie infima, sicut & ipsa albedo, quæ in illis potest recipi: & qualitas, & substantia, & actio, & passio,&c. conveniunt genericè in ratione subiecti relationis realis; sicut ipsa relatio realis est ratio generica: & conveniunt in specie infima in ratione subiecti relationis similitudinis, quæ in sententia valdè probabili est vna in specie infima, etiam si inveniatur in subiectis diversæ speciei, aut diversorum prædicamentorum in esse rei, aut in esse naturæ. Ex quibus poteritis in diversis materijs plura, & non levia solvere argumēta. Vide opusc. 1. num. 23. & attentè in hoc capite, num. 77. vt proportionabiliter posśitis obiectiones diluere.

80 *Æquivoca* (secundùm quod comprǽhendit tâm æquivoca rigorosa, quàm rigorosa analoga) ***dicuntur, quorum nomen est commune: ratio verò substantiæ, nomini accomodata, diuersa.*** Quare in hac acceptione ***convenire æquivocè cum alio***, est, ***quòd nomen sit vtrique commune, & in ratione significata differant***, præscindendo ab hoc quod differant simpliter, vèl secundùm quid. ***Æquivoca rigorosa, & propria, dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ, nomini accomodata, est omninò diuersa.***

Quare *illa dicuntur æquivocè, propriè, & rigorosè convenire, quæ habent idem nomen, & differunt omninò in re significata per illud*, vt canis latrabilis, marinus, & cœlestis in ratione canis; siquidem nomen canis est illis commune: & cum hoc nomen impositum sit ad significandas differentias horum compositorum, quæ differentiæ se totis differunt, vt communiter docent Thomistæ apud nostros Complut. in logic. disp. 7. quæst. 3. in Resumpta, sequitur quod in re significata in nullo conveniant.

*Thomistæ.* *Complut.*

81 *Analoga, in communi loquendo, dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ, nomini accomodata, partim est eadem, & partim diuersa.* Ista analoga dividuntur in Physica, & Logica. *Analoga Physica dicuntur, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est omninò eadem, in æqualiter tamèn participata*, id est, ex parte differentiarum. Vt homo, & equus in ratione animalis: quia ratio animalis secúdum se, est eiusdem rationis in vtroque; differentiæ tamèn, quibus ad illos contrahitur sunt in æquales; sed re vera apud Logicos ista analoga sunt simpliciter vnivoca. *Analoga Logica dicuntur, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen, est simpliciter diuersa; & secundùm quid eadem.* Ista dividuntur in analoga attributionis, seù proportionis, & in analoga proportionalitatis. *Analoga attributionis, seu proportionis dicuntur, quorum nomen est commune; ratio verò substãtiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum.* Vt sanum respectu animalis, vrinæ, & medicinæ. *Analoga proportionalitatis dicuntur, quorum nomen est commune; ratio verò substantiæ secundùm illud nomen est similis secundùm proportionem*, id est, *proportionabiliter.* Vndè tùnc

*Logicè*

duo,

duo, v.g. dicentur convenire analogicè cum alio aliqua ex his analogijs, quando adsint requisita exigita in tali analogia, id est, in definitione talium analogorum, seù analogatorum iuxta applicationes hìc iam tradditas.

82 *Denominatiua dicuntur, quæ ab alio, id est, ab aliqua forma nominis appellationem habent, solo differentia casu, id est, differunt cadentia vocis.* Vt album ab albedine, quæ est radix denominationis albi, & significat eamdem rem, ac album, licèt differant in modo significandi, quæ sunt conditiones necessariæ: quare illa dicentur convenire *denominatiuè*, quæ in prædictis deffinitionis conditionibus conveniunt. *Denominatio* est duplex, alia *intrinseca, quæ*, scilicèt, *provenit à forma intrinseca*, vt denominatio albi ab albedine: vel â termino intrinsicè terminante, vt denominatio subsistentis à subsistentia, aût personę à personalitate. Alia est *denominatio extrinseca*, videlicèt, *quæ provenit à forma, vel termino, alteri subiecto intrinsicè conveniente*, vt paries dicitur visus à visione, quæ intrinsicè recipitur in vidente. Vnde etiam in duplici differentia dicentur *denominatiua*, nempè *intrinseca, & extrinseca*: & dupliciter potest aliquid dici *denominatiuè, intrinsicè* videlicèt, *& extrinsicè*: tamèn in communi modo loquendi *dici tale denominatiuè*, est, *dici tale extrinsicè*, vèl *secundùm quid*, vèl *impropriè*. *Com. vsus*

## CAPVT XII.

### *De alijs distinctionibus.*

83 Vigesima quinta distinctio est: *vniuersaliter*, v.g. concedo, *particulariter*, nego. *Verificari aliquid vniuersaliter* est, Primò, *strictè*, scilicèt, *quando de omnibus similibus in natura, vèl in modo, aut in statu*, &c. *verificatur*. Secundò, accipitur *largè*, pro eodem, ac *vt in plurimum*, vèl *frequen-*

*quentius*; licèt aliquando oppositum contingat: & hoc modo, non rarò explicantur aliquæ authoritates, in quibus aliquid vniversaliter asseritur. *Verificari autem particulariter*, est, *quòd de aliquo, vel de aliquibus solùm verificetur ex his, quæ conveniunt in natura, modo, vel statu*; *vèl quod de vno solo non verificetur*: nàm tùnc verè non verificatur *vniuersaliter propriè, & strictè*. Vniversale accipitur in præsenti, non pro *vniuersali formaliter tali*, seu *logico*; quo pacto est ens rationis; neque pro *vniuersali fundamentaliter tali*, & *rigoroso*, seu *metaphysico rigoroso*; sed de qualibet ratione communi, vel vnivoca, vèl analoga; vel rei complexæ, vèl incomplexæ: vel completæ, vel incompletæ: vel entitatis, vel modi, &c.

84 Vigesima sexta distinctio est: *vt sic*, v.g. concedo: *vt tale*, nego. *Considerari aliquid vt sic*, est, *considerari secundùm rationem vniuersalem*, vel vnivocam, vèl analogam, vt homo vt sic, est homo secundùm suam rationem specificam abstrahentem ab individuis, v.g. Petro, & Paulo: & substantia vt sic, est substantia secundùm suam rationem genericam abstrahētem à corporea, & incorporea: & ens *vt sic*, est ens secundùm quod abstrahit à creato, & increato: reali, & rationis: substantiali, & accidentali, &c. *Considerari aliquid vt tale* est *considerari secundùm aliquam rationem determinatam contentam sub aliqua ratione superiori, & vniuersaliori*; sivè generica, sivè specifica, &c. vt homo est tale animal: & Petrus est talis homo. Videantur duæ præcedentes distinctiones.

85 Vigesima septima distinctio est: *signatè*, v.g. concedo; *exercitè*, nego. Vèl alijs terminis: *in actu signato*, concedo; *in actu exercito*, nego. *Habere aliquid in actu signato*, est, *habere illud in potentia*. Causare *in actu signato*, est, *habere potentiam ad cau-*

*causandum*. Item aliquid solet dici *tale in actu signato*, quando est tale secundùm se, seù *ut sic*, vel in statu abstractionis. *In actu exercito habere aliquid*, est, *quòd illud actu habeat*. Causare *in actu exercito*, est, *quòd actu causet*. Insuper solet accipi *esse tale in actu exercito*, pro *esse tale in statu contractionis*, seù secundûm illud, quòd secum trahit contractio talis rei. Videatur sequens distinctio cum duabusprę-cedentibus.

86 Vigesima octavà distinctio est: *actualiter*, v.g. concedo: *aptitudinaliter*, *vel potentialiter*, aùt *habitualiter*, nego. Hæc ferè coincidit cum præcedenti distinctione: ponitur tamèn, quia isti termini latiorem permitunt expositionem. *Esse actualiter tale*, est, *quod actualiter habeat id, quo constituitur tale*. Et est duplex, vel *actualiter esse tale actualitate virtuali*, vt id, quòd habet actu illud, ratione cuius constituitur virtualiter esse aliquid, quòd virtualiter continetur in tali ratione constitutiva. Vel *actualiter tale actualitate formali*, vt illud, quòd actualiter habet id, quo constituitur tale formaliter. Item aliquid potest dici *tale actualiter actualitate rei*, vel *actualitate solius temporis*. Illud est *tale actualitate rei*, *quod est tale per aliquam realitatem*, vt Petrus albus per albedinem, & materia est actu per formam. *Actualiter actualitate solius temporis esse tale*, est, *quòd solum hic, & nunc est tale*, & hoc modo materia prima existens secundùm propriam entitatem considerata habet esse actu, id est, hic, & nunc datur materia prima, seu pura potentia. *Aptitudo* apud Grammaticos, est idem, ac *idoneitas*, seù *sufficientia ad aliquid*: Apud Scholasticos verò *est ordo transcendentalis ad aliquid*, vt intellectus dicit aptitudinem ad intelligēdum, & voluntas ad intellectum tanquàm ad directivum dicit aptitudinem quamdam, & sic *aptitudo* su-

*Grammatici.*

*Scholast.*

ſumitur pro *habitudine*, quarè habitudo latiùs patet, ac potētia ad aliquid: nam licèt omne, quòd habet potentiam ad aliquid efficiendum, vel attingendum, vel cauſandum, dicat ad illud habitudinem, ſeu aptitudinem, non tamen omne id, quòd dicit habitudinem, ſeu aptitudinem ad aliquid, habet potentiam ad illud: nam effectus dicit aptitudinem, ſeu habitudinem ad cauſam; & tamèn non habet potentiam ad illam. Quarè *eſſe tale aptitudinaliter*, eſt, *dicere aptitudinem ad illud*, vt eſſe album aptitudinaliter, eſt dicere aptitudinem ad albedinem, vel ad eſſe album. Per quod etiam patet, quid ſit *eſſe potentialiter tale*, eſt enim *eſſe in potentia ad illud tale*, vt eſſe potentialiter album, eſt, eſſe in potentia ad albedinem, vel ad eſſe album. *Eſſe autem habitualiter tale*, eſt, *eſſe tale per modum habitus*, ſeù *permanentèr*, & quod illud in ſe habeat, etiam ſi non ſit propriè habitus; ſed, vèl ipſa natura, vt forma ſubſtātialis habitualiter dicitur informare: vel quodlibet accidens, vt quantitas, albedo dicuntur habitualiter eſſe in ſubiecto: vèl rigorosè ſi verè habitus ſit, & tùnc eſt tale per modum talitatis permanentis.

87 Vigeſima nona diſtinctio eſt: *realiter*, v.g. concedo: *ſecundùm rationem*, nego. *Eſſe tale realiter*, eſt, *eſſe tale à parte rei*, id eſt, in vniverſo ſine fictione intellectus, & in prædicamēto ponibile, vel directè, vt animal, albedo, &c. vel indirectè, vt modus, res incompletæ, complexæ, &c. *Eſſe tale ſecundū rationem propriè loquendo*, eſt, *eſſe tale per operationem intellectus*, quando intellectus, ſcilicèt, tribuit alicui quod à parte rei non habet, vt quod natura ſit vniverſalis formaliter: vel aufert quod à parte rei convenit illi, vt *à rationale præſcindit rationem animalis*, cum qua realiter identificatur in homine. Item *eſſe tale ſecun-*

*cundùm rationem*, eſt, *eſſe tale eſſentialiter*, id eſt, *ſecundùm eſſentiam*: quia ratio ſumitur pro eſſentia, vt ſumit Ariſtot.2.phyſic. quo ſenſu quando aliquid eſt de eſſentia alicuius, dicimus eſſe de ratione illius, in qua acceptione aliquando ea, quæ eſſentialiter diſtinguuntur, dicuntur ſecundùm rationem diſtingui, vt patet in noſtris Complut. in Phyſic. lib.3.diſp.17.q.2.num.13. in Reſumpta, vbi reſpondentes ad quamdam auctoritatem Ariſtot. & D. Thomæ aſſerentiũ, actionem, paſsionem, & motum diſtingui ſecundùm rationem, aùt ſecundùm diverſam rationem, inquiunt, intelligendum eſſe ſecundùm diverſam eſſentiam; quia ratio frequenter ſumitur pro eſſentia.

*Ariſtot.* *Complut.* *Ariſtot.* *S.Thom.*

88 Trigeſima diſtinctio eſt: *identicè*, v.g. concedo; *formaliter*, nego. *Eſſe tale identicè*, eſt, *eſſe tale entitatiuè*, aùt *materialiter*. Videatur ſequens diſtinctio, & in explicatione ſecundæ diſtinctionis, vbi etiam explicuimus quid ſit *eſſe formaliter tale*. Quibus autem modis dicatur *aliquid eſſe idem*? Videatur ſup.cap.4.huius opuſc.2.

89 Trigeſima prima diſtinctio eſt: *entitatiuè*, v.g. concedo: *modaliter*, nego. *Eſſe tale entitatiuè*, eſt, *eſſe tale ſecundum ſuam entitatem*; ita quidem, vt ſi entitas illa habet duplicem formalitatem, quòd cõvenit vni, dicimus convenire alteri, entitativè, & identicè, id eſt, ratione alterius formalitatis, cum qua identificatur, facitque vnam realiter entitatem, licèt prædictæ formalitates logicè formaliter excludantur, vt animal, & rationale in homine. *Entitas* verò tripliciter dicitur primò *phyſicè*, quæ generaliter loquendo eſt entitas realis ſecundùm omnia, quę à parte rei importat realiter, & ſecluſa præciſione intellectus, qua ratione Deus importat naturam vltimo terminatam per modum puriſsimi actus, attributa & relationes: quia realiter, & phyſicè

fice est trinus,& vnus. Loquendo autem specialiter, est entitas quę pertinet ad obiectum Physicæ,vel Philosophiæ, vt naturæ, quæ sunt principia motus, & quietis, entiaque existis naturis constituta. Secundò dicitur *entitas metaphisicè*, soletque accipi pro entitate secundùm suam essentiam præcisè, & formaliter, vt Deus, qui hoc modo dicit *suum intelligere*, vèl radicaliter, vel proximè secundum diversam opinionem, adhuc Thomistarum. Dicitur etiam *entitas metaphysicè*, quando pertinet ad obiectum metaphysicè : insuperque quando dicit quemdam gradum essentiæ, qui solet appellari *metaphysicus*, vt gradus hominis, animalis, viventis,&c. Tertiò, accipitur *logicè*, id est, secundum operationem intellectus, qui apræhendit entitatem, vbi non est, vt quā do prædicti gradus metaphysici superiores, vt animal, vivens,&c. apræhenduntur per modum entitatis distinctæ à qualibet

*Auctor. divers. Thomistæ.*

alia, etiam realiter identificata cum illa. Videantur aliæ acceptiones entis apud Metaphysicos, dùm de divisione entis loquuntur. Hìc tamèn advertere oportet, quòd *esse* est triplex, *essentiæ*, *existentiæ*, *& quod significat veritatem propositionis*. Item aliquid potest habere *esse* in suppositis, in causis, & in intellectu: & consequenter habere *tale esse*, v.g. *album* aliquo ex his modis. Videatur D. Thomas in locis citatis in Tabula aurea verbo *esse*, & infra vbi de huiusmodi terminis non pauca tractabimus. *Esse tale modaliter*, est, Primò, *esse tale ratione alicuius modi*, quo pacto, quòd perficitur per aliquem modum dicitur perfectum modaliter. Secundò, dicitur *tale modaliter*, *quòd est modus illius talis*, vt modus qualitatis dicitur modaliter qualitas. *Modus*, vt condistinguitur ab *entitate*, vel *re*, *est determinatio adiacens extra essentiam rei*, *ita minima entitatis*, *quòd sine illa naturaliter nequeat esse*:

*Metaphisici.*

*S.Thom.*

*esse*: quia adhùc sub lite est, vtrùm per potentiam absolutam posit esse sine illa? Et plures ex Thomistis, quibus adhærent Complutenses nostri aliquibus in locis tenent negativè; tamen concedunt posse separari ab entitate, dummodo sit media corruptione, quo pacto intensio qualitatis perit quoad aliquem modum, vel gradum virtualem. Notetur hìc quod accidentia, quę constituunt prædicamenta, vt qualitas, &c. dicũtur apud Aristot. D. Thomam, & alios, non raró, modificationes substantiæ, hæc verò acceptio modi non est rigorosa, sed lata: & sic potest definiri quod *sit adiacens rei determinatio*, vt in omnium ore habetur, dum loquuntur de modis. Et quidem ita definit D. Thom. opusc.40. in principio, qui loquendo de propositionibus modalibus exemplificat in albedine: nam albedo, quæ recipitur in Petro, est adiacens Petri determinatio; siquidem adiacet illi, & Petrum, qui erat indifferens ad albedinem, vel nigredinem, determinat, vt patet, ad esse album.

*Thomistæ.* *Complut.* *Aristot.* *S.Thom.* *Alij.* *Com.Doct.* *S.Thom.*

90 Trigesima secunda distinctio est: *physicè*, v.g.concedo: *metaphysicè, vèl logicè, vel moraliter*, nego. Sed hæc distinctio quantum ad prima tria membra iam constat ex præcedenti, & ex dictis cap.5.& 6. *Moraliter tale* dicitur aliquid primò, *quia est iuxta regulas moris*, id est, *rationis, vel ab illis deviat*: ex quo dicitur aliquid *bonum*, vel *malum*, id est, *virtuosum*, vel *vitiosum*, de quo agunt Theologi. Secundò, quia est sic *in æstimatione prudentum*, qua ratione dicitur, peccatum mortale infinitum simpliciter esse in ratione offensæ, vel esse solum infinitũ secundum quid iuxta diversas Theologorum sententias; & etiam hoc verificatur, quando aliqua licèt sint diversa reputantur pro eodem: aùt licèt sint plura pro vnico habentur; & ècontra. Tertiò, accipitur *non pro æsti-*

*Theologi.*

*ma-*

*matione praeisè prudentū*; sed *pro aestimatione vulgari hominum*, vt docent Complutenses disp.5. de anima, q.1. num.5. in Resumpta. Quartò est, aut dicitur *tale moraliter secundùm communem cursum, & circunstantias rerum*; quo pacto dicitur moraliter impossibile Petrum videre omnes colores numero nunc existentes in vniverso propter difficultates nunc illi occurrentes; licèt potentiam physicam habeat ad illos videndos: & dicitur etiam impossibile moraliter, hominem non peccare venialiter in omni specie peccati venialis, id est, ab omni peccato liberari.

Complut.

## CAPVT. XIII.

### *Exponuntur aliae distinctiones.*

91 TRigesima tertia distinctio est: *virtualiter*, v.g. concedo: *realiter, vèl formaliter*, nego. *Esse tale virtualiter*, est *esse tale in virtute*, seu *aequivalenter*, vel modo eminenti, vèl defficienti. *Esse tale realiter* est, *esse tale à parte rei, & sine fictione intellectus*. Esse tale *formaliter* alibi explicuimus. Item *continere realiter, continere virtualiter, vel formaliter, vel eminenter* quid sit? Videatur in opusc.1. cap.6. num.62. & cap.9. num.69. Et præter modos his locis relatos meminere de alio Complut. in lib. de anima, disp.4. quæst.3. conclus.3. in Resumpta, quem appellant *modum imperfectum continendi virtualiter*, quæ continentia non est effectiva; sed solùm per modum mensuræ illorum, quæ continet, quo sensu inquiunt ibidem, animam rationalem ratione suę vltimæ differentiæ continere virtualiter imperfectè animas vegetativas plantarum, & sensitivas brutorum specificè consideratas, quas quidem constat non continere effectivè; siquidem nequit illas producere, neque principaliter, neque instrumentaliter, & defficienter ratione sui. Insuper advertendum est,

Complut.

est, quòd *continere virtualiter*, seu *in virtute*, solet accipi pro *continere eminenter quocumque modo eminenter contineat, siue formaliter, siue virtualiter*, in quo sensu intelligendus est D. Thomas 1. p. quæst. 76. art. 4. vbi sic habet. *Nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiua, & ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam, & nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas*; & tamèn communiter Thomistæ affirmant animam rationalē formaliter eminenter continere esse vegetativum, & sensitivum: & vt hoc sic defendant, præter aliam solutionem, quam tradunt; Complutenses nostri afferunt aliā, quæ consistit in prædicta advertētia. Videantur illi in lib. de anima, disp. 4. q. 3. num. 19. in Resumpta. Denique advertendum est, quòd nomen *præcontinentia virtualis* frequentius vsurpatur pro *continentia virtuali imperfecta*, quæ consistit in quodam actu viali, & imperfecto magis quam sit res præcontenta, quo pacto motus præcontinet terminum, & semen animal, & quodlibet instrumentū effectum, quem instrumentaliter producit. Sic expresè advertunt nostri Complutens. in Resumpta lib. 7. Physic. disp. 26. quæst. 1. §. 1. Quo, non parùm cōfirmatur advertentia præcedens. Item *distingui realiter*, *distingui virtualiter*, vel *formaliter*, quid sit? Iam suprà diximus cap. 2. *Manere virtualiter* est *manere ratione alicuius virtutis illius, quòd manet*, vt elementum manet in mixto ratione qualitatum elemētarium, quæ inveniuntur in mixto, & sunt virtutes elementorum: vel manere ratione alicuius effectus primarij, vèl secundarij; sicut dispositiones antecedentes ad generationem substantialem manent virtualiter in materia prima pro illo priori ad formam substantialem: quia manet, aut est in illa generatio substantialis, quæ est effectus

S. Thom.

Thomistæ.

Complut.

Complut.

secundariò consecutus ad tales dispositiones virtute præcedentis alterationis.

92 Trigesimaquarta distinctio est: *determinatè*, v.g. concedo: *indeterminatè, vel vagè*, nego. Hæc distinctio ferè coincidit cum illis duabus, quas retulimus cap. 12. num. 84. & 85. ideòque parum hìc de illis agemus. *Esse tale determinatè*, est, *quòd habeat aliquid, ratione cuius constituatur in tali esse determinato*, vt homo habet animam rationalem, ratione cuius est homo. *Esse tale indeterminatè, & vagè*, est, *quòd habeat quamdam indifferentiam ad plura*, vt aliquis homo, aliquod animal. Dicitur etiam aliquid habere esse indeterminatum, quando vnivocè, vèl analogicè præscindit à pluribus, vt homo, animal ens, &c.

93 Trigesimaquinta distinctio est: *in facto esse*, v.g. concedo: *in fieri, vel vialiter*, nego. *Aliquid esse tale in facto esse*, est, *esse tale quando iam est extra suas causas*. Esse tale *in fieri* est *esse tale, nondùm extra suas causas; sed in egredi, in via, & tendentia ad illud esse tale*. Videatur in præsenti n. 91. & cap. 14. n. 108.

94 Trigesima sexta distinctio est, *directè*, v.g. concedo, *indirectè, vel reductiuè, vel reflexè*, nego. *Esse tale directè, aut pertinere directè ad aliquod esse*, est, *quod sit tale, vel pertineat ad illud esse per se, & ratione sui*, vt Petrus directè pertinet ad prædicamentum substantiæ. *Esse tale indirectè, & reductiuè*, est, *quòd ratione alterius, & quod secundùm quid sapiat ad illud*. Vel propter suam incompletionem, aut imperfectionem, vt materia prima pertinet ad prædicamentum substantiæ, & motus ad prædicamētum, & speciem sui termini. Videantur illæ duæ distinctiones, scilicèt *per se*, & *per aliud*, cap. 6. num. 48. & *simpliciter*, & *secundum quid*, cap. 5. num. 43. *Reflexe esse tale*, est *quod importet reflexionem illius talis, vel supra illud tale*. Reflexio autem est duplex, alia

qui-

quidem formalis: alia verò virtualis. *Reflexio formalis* est in actibus intellectus, *cognitio cognitionis praecedentis*: si autem sit in motibus naturalibus, est, *vt quando ex B, movemur ad A, & iterum ex A, movemur ad B.* Huiusmodi autem modus secundus, dicitur *reflexus formaliter. Reflexio virtualis* est, *quàndo non directè tendit ad illud, supra quod reflectitur; sed quando dum directè*, v.g. *intendit cognoscere, aliquod obiectum, propter eminentiam talis cognitionis, aliquantulum advertit se cognoscere per eamdemmet cognitionem.* Et idem invenitur in actibus voluntatis, & in alijs potentijs perfectis sensitivis; siquidem voluntas dùm amat aliquod bonum, virtualiter, propter eminentiam ipsius amoris, amat ipsum amorem.

95 Trigesima septima distinctio est: *intensivè*, v.g. concedo; *extensivè*, nego. *Habere aliquam perfectionem intensiuè*, est, *quòd ex parte entitatis, seu intrinsicè, & substantialiter, habet illam talem perfectionem, vel formalitatem.* Vt relatio paternitatis ad filium vnicum numero habet intēsivè, quidquid requiritur, vt plures respiciat, si darentur. Et personalitas divina habet quidquid requiritur, vt posit naturas creatas terminare, licèt de facto non terminet illas. *Habere illud esse extensiuè*, est, *quòd ad illud etiam extendatur*, vt relatio paternitatis ad omnes filios. Et personalitas divina ad naturas creatas terminandas, & habebit magis, aùt minus, aùt totaliter esse extensivum secundùm maiorem, vèl minorem, vèl totalem extensionem. Advertendum tamèn est, quòd hæc extensio aliquando est sine additione novi modi, aùt perfectionis, vt in exemplis allatis: aliquando verò per additionem novi modi, aùt perfectionis, vt in extensione scientiarum ad plures conclusiones.

96 Trigesima octava distinctio es: *eiusdem ordi-*

*nis*, v.g. concedo: *diuersi ordinis*, nego. *Ordo* tria importat, scilicèt, *prius*, & *posterius*: *distinctionem*: & *rationem principij*. Sic D.
S.Thom. Thomas 2. 2. quæst. 26. art. 1. in corpore, simul, & art. 6. in fine corporis. Vndè eo modo quo fuerit distinctio erit ordo; si distinctio fuerit realis, ordo realis erit; si verò fuerit rationis distinctio, ordo etiam erit rationis. Vt docet
S.Thom. etiam D. Thom. quęst. 10. de potentia, art. 3. in corpore. Potest quidem aliquid esse prius alio, vel posterius multipliciter, vt latè diximus sup. cap. 8. num. 56. Quot modis dicatur principium explicatum est opusc. 1. cap. 3. Vbicumque igitur datur aliquod principium, aliquod datur principiatum, & aliquomodò diversum: quia idem respectu eiusdem nequit esse principiū. Et similiter, vbi datur principium, & principiatum, datur prius, & posterius. Ex quibus sequitur quod vbicūque sit aliquod principium, datur aliquis ordo, ita docet D. Thomas locis citatis ex 2. 2. cum enim in quolibet ex quatuor generibus causarum detur principium, & diversum principium, ideò datur in quolibet ordo, & diversus ordo. Et sic rectè dici potest, quòd aliqua sunt in ordine causæ efficientis, causæ finalis, &c.

Ordines dicuntur communiter apud Scholasticos (sumpto ordine pro genere, & classe, quo pacto dicitur etiam linea, etiam si non detur vnivoca convenientia) vt sequuntur. Primò, *ordo diuinus, & increatus*, vt est qui versatur inter divinas Personas. Secundò, *ordo hypostaticus*, & est qui versatur inter ea, quę pertinent ad Christum Dominū per respectum ad divinam Personam Verbi, vt vnio hypostatica, gratia capitis, & dignificationes virtutum, & operationum ex persona desumptæ: & licèt *ordo hypostaticus* posset dici ille, *qui versatur inter quaslibet personas, vel res ad illas pertinentes*; iam vsus præ- — Scholasti — Com. vsus

prævaluit, vt pro rebus pertinétibus ad Christum Dominum vsurpetur. Tertiò, *ordo supernaturalis*, & est *qui includit omnia supernaturalia*, sub quo continentur etiam duo supra dicti ordines; quamvis illi specialibus nominibus insigniantur. Dicuntur *res supernaturales*, quæ sunt supra omnem exigentiam naturæ, & sunt participationes alicuius prædicati divini proprio modo ipsius, vel ipsum prædicatum divinum secundùm quod pertinet ad Deum Auctorem supernaturalem. Hìc ordo solet etiam dici *ordo gratiæ*, sub quo potest contineri & gratia per essentiam, & gratia per participationem, & ea, quæ ad illas expectant. Quartò, *ordo naturalis*, seu *ordo naturæ*, & est *inter res naturales*: sub quo continentur Deus, vt est Auctor naturæ, Angeli, & substantiæ creatæ, & accidentia, quæ modo naturali substantias creatas possunt immutare, vèl actuare, vèl ab illis quoquo modo dependerè, & hoc modo sumitur *naturas.*, vt contraponitur ad *propriè supernaturale*. Quintò, *ordo intelligibilis*, inveniturque inter res, quæ pertinent ad intellectionem, secundùm quod hoc modo præcisè considerantur: & idem potest dici de *ordine sensibili*: & vterque compræhenditur sub *ordine cognoscibili*, seu *intentionali*; siquidem quid quid cognoscitur, per intellectum, vel sensum cognoscitur. Sextò, est ordo præcedenti maximè à finis, scilicèt *ordo repræsentativus*, & includit res repræsentatas, aut repræsentabiles, & res repræsentantes, id est repræsentationes, vt formaliter huiusmodi expresſiones ostendunt: & similiter continentur quæ huiusmodi ad illas pertinent. Septimò, *ordo essendi*, & includit omnia, quæ ad quodlibet *esse* pertinent, & consequenter includit omnes prædictos ordines, & dicendos; licèt communiter accipiatur pro *esse physico*, aùt *metaphysico* condistin-

cto ab *esse repræsentatiuo*, seu *intelligibili*. Tamèn prosequendo in particulari octavò, *ordo, sit ordo essentiæ*, & includit omnia, quæ pertinent ad essentiam rerum, & quidditatem. Nonò, *ordo subsistentiæ, vèl subsistendi*, & includit quæ pertinent ad hoc, vt res subsistant, vel habeant subsistentiam. Decimò, *ordo existentiæ, vèl existendi*, includitque pertinentia ad existētiam rei. Vndecimò, *ordo entitatiuus*, ad quem pertinent res, præcisè secundùm suas entitates sine respectu ad aliud: & dividitur in *ordinem physicum, & metaphysicum*. Duodecimò, *ordo actus*, & considerat præcisè modum, & dignitatem actuandi, quo pacto probabiliter dixit Caietanus, & alij Thomistę, accidentia, seû formas accidentales perfectiores esse formis substantialibus in ratione actus, quia magis actuant; siquidem minus potentialitatis in subiecto relinquunt. Decimotertiò *ordo operatiuus*, ad quem attinent omnia pertinentia ad operationem, tàm radicaliter, quàm proximè: tàm formaliter, quàm connotativè; immo, & ipsa operatio. Decimoquartò, *ordo substātiæ*, ad quem pertinent omnia expectantia ad prædicamentum substantiæ, tàm directè, quàm indirectè: tàm adæquatè, quàm inadæquatè. Decimoquintò, *ordo accidentis*, ad quem pertinent attinentia ad alia prædicamenta, per quę accidens divagatur, quo sensu S. Thomæ Discipuli affirmant, quôd potentia, & actus per se primò inspectus, debent esse in eodem ordine, substantiæ, scilicèt, vèl accidentis. Ex quo inferunt, quôd neque materia prima potest immediatè recipere accidentia, neque substātia immediatè elicere operationem. Decimosextò, *ordo rationis*, ad quem pertinent omnia entia rationis. Decimoseptimò, *ordo negativus*, ad quem pertinent, tàm negationes, quàm privationes; nisi velis hunc

*Caietanus* *Alij Thomistæ.* *Thomistæ.*

in

in duos dividere ordines, scilicet, negativum, & privativum. Decimooctavo, *ordo moralis*, ad quem pertinent omnes res, quæ regulantur per rationem: & quæ sunt tales in existimatione hominum, qui autem voluerit hos ordines perfectius cognoscere, videat explicationem vniuscuiusque termini in proprijs locis huius opusculi, quæ indice rerum signantur. Notandum tamen est, eandem rem posse ad multiplicem ordinem pertinere (nisi prædicti ordines magnopere differant, vt substantia, & accidens: naturale, & supernaturale: creatum, & increatum, &c.) Ratio est: quia eadem res potest considerari respectu diversorum, vt anima in quantum constituit compositum, tribuendo illi *esse*; & in quantum est radix operationis, &c.

***

## CAPVT XIV.

### *De alijs distinctionibus.*

97 Trigesima nona distinctio: *concretiuè*, v.g. concedo: *abstractiuè*, nego. *Concretum est conflatum ex forma, & subiecto; vt album, homo, &c.* Concretum autem, tàm substantiæ, quàm accidentis, sumitur dupliciter. Primò, *logicè*, quo pacto dicit formam in recto, cócernendo subiectum in obliquo: & hoc modo definitur à Dialecticis, & sic homo significat humanitatem in rectò, connotando in obliquo subsistentiam, seù suppositum: & album albedinem in rectò, connotando in obliquo, v.g. parietem. Secundò, sumitur *physicè*, quo pacto importat in recto, tàm formam, quàm subiectum. Et hoc modo homo importat in rectò, tàm humanitatem, quàm suppositum, seu subsistentiam, quæ se habet per modum sustentantis. Sic docent *Dialectici*

Complut. Complut. lib. 2. de gener. disp. 15. quæst. 1. num. 15. in Resumpta. *Aliquam formam sumi concretiuè*, est, *sumi pro suo concreto*, *&* *secundum quod simul importat subiectum, aut principium*, vt operatio *concretiuè* importat tàm operationem, quàm ipsum operans. Et causalitas *concretiuè* est *causare*, & importat simul *ipsam causam*, *& causalitatem*, quòd passim invenies apud Complut. & alios. *Abstractum* solam formam significat, tàm ex parte rei significatæ, quàm ex parte modi significandi. Aliquid potest abstrahere ab alio dupliciter, Primò, *abstractione vniuersali*, seù *totali*, vt prædicatum aliquod abstrahitur à suis inferioribus, sicut animal ab homine, & equo, &c. Secundò, *abstractione formali*, vt forma, aut illud, quòd habet rationem formæ abstrahitur à subiecto, vèl ab illo, quòd habet rationem, aùt modum, aùt similitudinem subiecti, vt hæc albedo abstrahitur à Petro, v. g. & humanitas à supposito. Hæc abstractio abstractione formali potest esse, ita vt abstractum consideretur *physicè*, & hoc modo connotat subiectum, à quo est abstractum, præscindens ab actuali vnione cum illo. Vèl potest considerari *logicè*, quo pacto consideratur, *vt per se stans*, id est, ad modum substantiæ, etiam si entitativè accidens sit: ex quo sequitur quod hoc modo nullum subiectum connotet. Quarè *esse abstractiuè tale* potest esse his prædictis modis. Videatur quibus modis dicatur *præcisio*, de quo latè egimus suprà cap. 10. Nam *abstractio* sumitur etiam pro *præcisione*.

Complut. Alij.

98 Quadragesima distinctio est: *absolutè*, v. g. concedo: *respectiuè*, nego. *Absolutè tale* intelligitur de eo, quòd simpliciter est: sicut ens absolutè dictum significat substantiam, ita eisdem verbis S. Thomas in 1. dist. 9. quęst. 1. art. 1. ad 2. Cum autem, vt iam diximus sup. cap. 5. num. S. Thom.

num.43. *simpliciter*, multipliciter dicatur, etiam poterit *absolutè* multipliciter dici: vel in omni genere, vel in genere determinato, vel iuxta subiectam materiam, de qua, scilicèt, agitur. Item *absolutè dicitur*, quòd per se est tale: quid autem *per se esse tale* importet? Videatur cap.6. num.48. *Respectiuè tale* dicitur aliquid, quando licèt absolutè non sit tale, potest dici tale, si comparetur ad aliud, quòd magis distat ab esse talis, vt medium non est absolutè finis, nec principium; tamen si comparetur ad principium habet quodammodo rationem finis; si verô comparetur ad finem, potest dici principium, vt
Com. Doct. communiter docent Doctores. Accidens completum licèt absolutè non sit ens secundum quid; alias non poneretur in suo prædicamento, v.g. quantitatis, aut qualitatis, vt cum
Complut. Dialectici communi Dialecticorum docent nostri Complut. in logic. disp. 11. quæst. vltim. Tamen si comparetur ad substantiam, quæ magis distat ab esse secundum quid, dicitur ens secundum quid. Item Astrologi, & Mathematici docent, totum orbem terræ esse indivisibilem, & punctum vnicum respectivè ad cœlorum magnitudinem; cum tamen evidentissimum sit, totum orbem terræ absolutè habere magnam quantitatem, & in magnas partes versus omnes dimensiones divisibilem. Item aliquid respectivè ad diversa potest habere distincta prædicata, vt quantitas respectivè ad substantiam, in qua recipitur, dicitur forma; & respectivè ad albedinem, quam recipit, est subiectũ. Et sic de alijs. Videatur cap.6. num.48. cit. & cap. 5. num.43. Astrologi. Mathem.

99 Quadragesima prima distinctio est: *propriè*, v. g. concedo: *impropriè*, nego. *Propriè tale* potest aliquid dici quadruplici modo, sicut & dicitur proprium, vt distinguitur cõtra commune ex Porphirio cap. de proprio quarto Porfirius

præ-

prædicabili. Primò, dicitur *proprium, quòd convenit soli speciei; sed non omni illius individuo, vt homini esse Medicum*. Secundò, *quod convenit omni individuo speciei; sed non soli*, vt homini *esse bipedem*. Tertiò, *quod convenit omni speciei, & soli; sed non semper*, vt homini *canescere*. Quartò, *quod convenit omni speciei, & soli, & semper*, vt homini *esse risibilem*, & hìc appellatur à Porphirio *maximè proprium*. Item differentia essentialis, qua homo differt ab equo, dicitur *propria ratio ipsius*, & sic de alijs. Quæ dicitur à Porphirio differentia proprijssima, cap. de differentia. Item *propriè tale* dicitur, *quòd simpliciter, & absolutè est tale*, ad quod videatur, quibus modis *simpliciter, & absolutè* dicantur, suprà num. 98. *Impropriè tale* dicitur, Primò, quod *metaphoricè est tale*, vt Christus Dominus dicitur *Agnus, Leo, &c*. Secundò, quod *secundū quid, per accidens*, vel *solùm respectiuè ad aliud se habet*: pro quo videantur isti termini loco cit. & per multiplicitatem acceptionum disces, quotuplex iste accipiatur.

*Idem.*

100 Quadragesima secunda distinctio est: v.g. *perfectè*, concedò: *imperfectè*, nego. Quæ eodem modo, ac præcedens explicatur, est enim in re eadem.

101 Quadragesima tertia distinctio est: *implicite*, v.g. concedo: *explicitè*, nego. Hæc distinctio cum terminorum explicatione constat ex dictis cap. 2. num. 16. vbi agitur de distinctione *quoad implicitum, & explicitum*.

102 Quadragesima quarta distinctio est: *confusè*, v.g. concedo: *expressè, clarè*, aùt *explicatiuè*, nego. Ista distinctio, & termini eodem modo explicantur, ac distinctio, & termini præcedentes; immo ipsi se manifestant.

103 Quadragesima quinta distinctio est: *substantiuè*, v.g. concedo: *adiectiuè*, nego. *Significare aliquid substantiuè* est, *significare illud per modum sub-*

*substantiæ*, id est, *per se*, sicut substantia per se habet esse: & ideò sic est, sicut per nomen significatur. Quarè quod est tale *substantiuè* per se est tale. *Significare adiectiuè*, est *significare per modum accidentis*, quòd adhæret subiecto. Cum autem accidens habeat esse à subiecto: inde est, quòd sit tale ex subiecto. Vnde *esse tale adiectiuè* est, *esse tale secundùm esse subiecti*, seu *suppositi*. Ex quo infert D. Thomas, quòd nomina significantia *substantiuè* in diuinis nequeunt pluraliter dici, vt Deus: & ideò tres Personę non dicuntur tres Dij; ea autèm, quæ significant *adiectiuè* in diuinis, pluraliter prædicantur, sicut plura sunt supposita, & ideò dicimus in diuinis esse tres existentes, tres sapientes, tres increatos, tres æternos, tres inmensos, &c. Videatur D. Thomas 1. part. quęst. 39. art. 3. in corp.

S. Thom.

104 . Quadragesima sexta distinctio est: *formaliter*, v.g. concedo: *connotatiuè*, nego. Terminus *formaliter* explicatus iam est suprà cap. 5. num. 40. *Esse tale connotatiuè* est. Primò, *esse tale adiectiuè*; de quo in præcedenti distinctione. Secundò, *est esse illud, quòd connotatur.* Tertiò, sumitur pro re connotante, vt connotante. Adverte, quòd *connotare aliquid* est *illud respicere, à quo determinatur, aut modificatur*; tamen connotatum frequenter se habet, vt obliquum respectu rei cónotantis, de quo infra num. 106.

105 Quadragesima septima distinctio, potest esse *categorematicè*, v. g. concedo: *syncategorematicè*, nego. *Esse tale categorematicè* est, *esse tale per se*; sicut categorematicus terminus per se significat. *Esse tale syncategorematicè* est, *esse tale, non per se*; *sed ratione alterius*: sicut terminus syncategorematicus non significat per se; sed ratione alterius, nempè categorematici, vt patet in his terminis, *omnis, nullus, aliquis*, &c. qui non sig-

significant propriè, nisi sub intelligatur aliquod nomen substantivum, v. g. homo, lapis, &c.

106 Quadragesima octava distinctio est, *in rectò*, v.g. concedo: *in obliquo*, nego. *Aliquid importari in rectò*, est, *importari per se, & principaliter, & directè*; tamen cum ordine quodam ad aliquid, quòd intrat, aùt importatur in *obliquo*: quia rectum sub ratione recti, non importat præcisè suam entitatem; sed vt vestitam, & expressantem respectũ ad obliquum; vel vt terminat respectum obliqui ad se; sicut etiam obliquum, vt obliquum non importat præcisè suam entitatem; sed vt vestitam, & expressantem respectum ad suum rectum; vel vt terminat respectum recti ad se. *Importari in obliquo*, est, *quòd importetur minus principaliter, & vt additamentum modificans, & determinans entitatem recti, aut eius virtutem*, quòd communiter denotatur per casus genitivi, dativi, accusativi, & ablativi; sicut rectum per nominativum, aut vocativum.

107 Quadragesima nona distinctio, *instantaneè*, v.g. concedo: *successivè*, nego. *Esse tale instantaneè* est, *quod duret per vnũ instans*, & potest tripliciter accipi, Primò, sumpto instanti *rigorosè*, id est, pro verò, & proprio instanti temporis. Secundò, *pro instanti naturæ*, quòd solet dici, & est *instans rationis*, seu *causalitatis*: & huius in quolibet verò, & reali instanti temporis plura possunt distingui secundum multitudinem causalitatũ, & dependentiarum in illo verò instanti concurrentium, vt causæ materialis receptivæ, formalis, efficientis, finalis, materialis, dispositivæ, & inter effectus primarium, & secundarium, & alium, & alium magis secundarium, quæ omnia in eodem instanti reali temporis multoties inveniuntur. Instans, v.g. causæ materialis, aut prioritas causæ materialis, est, quando ipsa intelligitur, vt

vt causa à qua omnia alia dependent, & consequenter se habent aliquo modo, vt effectus illius, & non attenditur ad dependentiam, quam habet ab alijs causis, & similiter in instantibus, aùt prioritatibus aliorum, quæ diximus. Tertiò, *respectiuè*, vt *quando licèt pro aliquo tempore duret, est ita minimum, vt respectiuè ad maiorem durationem instans dicatur.* Et hoc modo vulgariter dicitur: *In tali occupatione mansi per vnum instans. In vno instanti ibo, & loquar tecum, &c.* Esse tale *successiuè*, est. *Primò, quod sit in se quid successiuum*, vt motus, tempus. Secundò, *quod licèt in se non sit quid successiuum; tamèn acquirit suum esse, vel labitur successiuè*, vt qualitas intensibilis, quantitas, &c. quæ medio motu acquiruntur.

108 Quinquagesima distinctio est: *permanenter*, vel *immanenter*, v.g. concedo: *transeunter*, vel *vialiter*, nego. *Esse tale permanenter* sumitur primò, vt contraponitur ad *esse tale successiuè*, & hoc modo dicit *quod habeat suum esse simul, & non partem post partem*, quo pacto instans potest dici quid permanens; licèt subitò transeat: & sonus dicitur à Complutensibus qualitas prima permanens, lib. 2. de anima, disp. 10. q. 1. num. 2. Complut. Sumitur secundò, *permanenter*, vt contraponitur *ad transeunter*, quo pacto dicit *quod ex natura sua duret multum; licèt per accidens aliquando subitò deficiat*, vt patet in gratia supernaturali, licèt subito excludatur per peccatum lætale. Tertiò, vt contraponitur ad *vialiter*, qua ratione dicit *quod ex natura sua ad aliud non ordinetur*, neque tanquam fieri, neque vt medium, aut eleuatio alicuius causæ ad productionem alicuius effectus, in quo sensu inquiunt Complutenses nostri in Physic. disput. 12. quæst. 1. num. 7. in Resumpta, naturam permanentis, vel transeuntis (sumpto transeunte pro viali) non desumi Complut.

sumi ex eo, quòd multum, aùt parum duret; sed ex eo, quòd forma vialis habet rationem medij, & tendentiæ ad vlteriorem terminũ. Qua ratione explicant illud celebre axioma, *vnum quodque recipitur ad modum recipientis*, dicendo esse verum, si recipitur *permanenter*; non verò si recipiatur *vialiter*. Quapropter poterit aliquid spirituale viale in subiecto corporeo recipi. *Esse tale immanenter*, est, *quòd maneat in principio, à quo procedit*, sicut intellectio dicitur actio immanens; quia manet in intelligente, seù eliciente intellectionem. Videatur S. Thomas 1.part.quæst.18. art.3. ad 1. & alibi passim. *Esse tale transeunter* sumitur primò, pro eo, *quòd subitò transit*; licèt habeat totum suum esse simul, vt sonus, visio, &c. quæ quidem terminum non producunt, & consequenter sunt eminenter *factum esse*: quarè propriè non se habent vt via. Secundò, *pro habere esse successiuè*.

*Axioma.*

*S.Thom.*

Tertiò, pro *esse per modum viæ, & tendentiæ, seu medij*. Quartò, *quia transit ad externam materiam*, vt actio transiens. *Esse tale vialiter* potest accipi eisdem tribus primis modis, ac *esse tale transeunter*, iam enumeratis: tamèn tertius est proprijssimus.

## CAPVT XV.

### *Explicantur alia distinctiones.*

109 Quinquagesima prima distinctio est: *innitiatiuè*, v.g. concedo: *completiuè*, nego. *Esse tale innitiatiuè* est, *quòd sit innitium illius talis*. Esse tale *completiuè*, est, *quod compleat illud tale*, seù *vltimò constituat, aùt terminet*.

110 Quinquagesima secunda distinctio est: *adæquatè*, v.g. concedo: *inadæquatè*, nego. *Esse tale adæquatè*, est *includere omnem rationem illius talis*. Esse tale *inadæquatè*, est, *quòd saltem aliquam rationem illius talis non includat*. Redere

dere rationem *adæquatam*, est, *redere rationem sufficientem*. Redere rationem *inadæquatam*, est, *insuficientem rationem redere*. Hìc autē advertatur quod aliquando adæquatè probatur aliquid aliqua ex duabus, v. g. rationibus, quæ manifestius probat. In quo casu si alicubi contingat non militare illam manifestiorem; tamèn militat illa alia ratio adæquata, verificabitur illud, quòd probatur. Si autem obijciatur: *ideò illud est tale: quia militat talis ratio* (reduplicando supra rationem manifestiorem:) *sed in hoc non militat talis ratio: ergo non est tale*. Distinguenda est maior, *ideo, si redat rationem sufficientem*, concedo; *si redat vnicam, & indiuisibilem rationem*, nego. Quare cum sit, & militet alia ratio, quæ etiam adæquatè probat, non est cur negetur tale prædicatum; non verò distinguatur (vt malè quidam distinguunt) *si redat rationem inadæquatam*, cōcedo maiorem; *si adæquatam*, nego: quia supponimus redere rationem adęquatam, & manifestiorem. Vel si ècontra contingat, idem proportionabiliter dicatur; siquidem est ratio sufficiens.

Íiqui.

111 Quinquagesima tertia distinctio est: *completè*, v.g. concedo; *incompletè*, nego. Esse tale *completè*, est, *esse tale adæquatè*. Esse tale *incompletè*, est, *esse tale inadæquatè*. Videatur præcedens distinctio.

112 Quinquagesima quarta distinctio est: *totaliter*, v.g. concedo: *partialiter*, nego. Esse tale *totaliter*, est, *quòd sit illud totum tale*. Esse tale *partialiter*, est, *esse partem illius talis*. Pro quo notādum est partes esse in multiplici differentia. Primò, sunt partes *subiectiuæ*. Secundò, *obiectiuæ*. Tertiò, *integrales*. Quartò, *Physicæ*. Quintò, *Metaphysicæ*. Sextò, *Logicæ*. Septimò, *virtuales*, seù *eminentiales*. Octavò, *potestatiuæ*. Nonò, *potentiales*. Decimò, *actuales*. Et vndecimò, *Morales*. *Partes subiectiuæ* dicūtur illæ,

*quæ*

*sua essentialiter continentur sub aliqua ratione.* Sicut inferius sub suo superiori, vt species alicuius generis respectu illius, & individua alicuius speciei respectu ipsius, & homo, vel quantitas sub ratione entis (licèt hæc vltima ratio solum sit analoga, dicuntur *subiectiuæ*, quia *subijciuntur toti: & hoc de illis prædicatur.* Partes *obiectiuæ*, vt distinctæ à subiectivis sunt, quæ, licèt sint eadem simplicissima realitas formaliter, nec aliquod totum componant; tamèn obiectum vnius, & alterius, continentur sub obiecto aliquo superiori; nó quidem, vt obiecta formalia sub aliquo obiecto formali superiori (alias prædictę partes essent propriè, & in rigore *subiectivæ*;) sed vt obiecta materialia sub sua ratione superiori materiali, quæ sub est rationi formali obiectivæ, vt intellectus practicus, & speculativus, qui licèt sint eadem simplicissima potentia intellectiva absque distinctione reali, vel virtuali; nihilominus obiectum intellectus practici, nempè verum practicabile, est pars obiecti potentię intellectivæ in tota sua amplitudine: & similiter obiectum intellectus speculativi, nempè verum speculabile, est pars obiecti intellectus in tota sua latitudine, quale est verum *vt sic* præscindens à practicabili, & speculabili. Ita nostri Salmanticenses tom. 1. tract. 5. de prædest. disp. 2. dub. 3. à num. 102. cum alijs ex D. Thom. ibi citatis, num. 111. *Partes integrales* sunt, *quæ integrant aliquod totum integrale*, vt partes quantitatis quantitatem. Istæ partes, aliæ sunt *homogeneæ*, seu *eiusdem rationis*, vt partes quantitatis intra proprium genus. Aliæ sunt *etharogeneæ*, id est, *diversæ rationis*, vt manus, cor, hepar, pes, caput, &c. & omnes, vel sunt potentiales; vel actuales. *Potentiales*, vt intra genus substantiæ in nostra sententia. *Actuales*, vt in exemplis allatis. Alia acceptio partium in-

*Salmant.*
*Alij.*
*S. Thom.*

tegralium invenitur apud nostros Salmantic. tom. 3. in arbore prædicamentali virtutum, §. 6. num. 39. quam quidem applicant habitibus: inquiunt enim sic: *Partes integrales dicuntur non aliqui habitus, aut actus partiales, ex quibus ipsa virtutis essentia coalescat (est enim qualibet virtus, siue pro habitu, siue pro actu sumatur vna simplex qualitas incomposita, & indiuisibilis, vt alibi est ostensum) sed quadam conditiones, aùt dispositiones, functiones, vel actus, qua ad esse oportet, vt opus virtutis perfectum euadat.* Vndè poterit quisque hanc partium integralium acceptionem alijs rebus faciliter adaptare. *Salmant.*

113 *Partes physica* sunt, *qua constituunt compositum physicum*, vt materia prima, & forma substantialis. Similiter partes alicuius concreti accidentalis dicuntur *partes physica*, vt subiectum, & forma, v.g. substantia, & albedo physicè cóstituunt album. Idemque potest dici de alijs rebus, quæ se habent realiter, & sine fictione intellectus per modú actus, & potentiæ; etiam si constituant vnum ens per se, vt essentia, & existentia respectu entis existentis; sed istæ etiam possunt dici *partes metaphysica*, vt statim dico. *Partes metaphysica* communiter dicuntur *gradus genericus, & gradus differentialis alicuius essentia*, vt in homine, v.g. gradus animalis, & gradus rationalis; licèt propriè loquendo isti gradus dicantur *partes logica*, quia per fictionem intellectus sunt partes: sed fictio intellectus pertinet ad logicam: ergo, &c. Nihilominus sustineri debet communis locutio, quæ non caret fundamento, nempè quod licèt per fictionem intellectus fiant partes; tamen res ipsæ, seu gradus ipsi sunt aliquid reale in rebus realibus, scilicèt, aliquid essentiæ: & essentia rei ad obiectú Metaphysicæ spectat. Si verò prædicti gradus fuerint alicuius essentiæ entis rationis, v.g. *spe-* *Com. vsurt*

*civitatis*, translatitiè, vel cum eadem tali, quali proprietate, iuxta diversa Auctorum placita, dicuntur *partes Metaphysicæ*. Secundò, essentia, & existētia possunt dici, & sunt, *partes Metaphysicæ*, ex eo, quòd de ipsis agit Metaphysica, & sunt partes sui obiecti, nempè entis sub ratione entis. *Partes logicæ* dicuntur, quas suprà diximus appellari communiter partes metaphysicas. *Partes virtuales, eminentiales*, seu *æquivalenter tales* dicuntur *illæ eminentiæ, quæ in entitate aliqua valdè perfecta inveniuntur virtualiter diuersæ*, quibus talis entitas, licèt formaliter indivisibilis sit, potest facere quidquid faceret res divisibilis, vel ipsa si divisibilis foret formaliter, & habens formaliter partes; & hoc cum maiori perfectione, vt anima rationalis, quæ licèt indivisibilis formaliter, verè informat, &cum maiori perfectione corpus divisibile, ac si divisibilis foret. Et qualitas intēsibilis, & modus intensionis illius, licèt sint formaliter indivisibiles, & careant partibus formalibus, & actualibus; possunt optimè produci per motum, & illi perfectè, & cum maiori perfectione correspōdere; nempè, virtualiter, & eminenter, etiam si motus, scilicèt, alterationis habeat partes formales, & actuales, quibus essentialiter constat. Quæ doctrina est communis inter Thomistas. Item *partes virtuales* dicuntur *illæ formalitates, quæ virtualiter distinguuntur*, vt gradus genericus, & differentialis, quos supra appellavimus partes metaphysicas. *Partes potestatiuæ alicuius* dicuntur *potentiæ, & virtutes operatiuæ illius accidentales*, ita D. Thomas in 2. dist. 9. quæst. 1. art. 3. ad 1. his verbis: *Ad primum dicendum est, quòd diuisio Hyerarchiæ in ordines, est totius potestatiui in partes potentiales, sicut anima dividitur in suas potentias (id est potestatiuas*, vt sic partes dividentes correspondeant di-

*Com. Thomistæ.*

*S. Thom.*

diviso, sicut partes physicę toti physico: & partes metaphysicæ toti metaphysico, &c.) Videatur idem D. Thomas 1. part. quæst. 53. art. 1. ad 1. & 1. 2. q. 50. art. 6. ad 3. vbi hoc ipsum applicat Angelis, & eorum essentiam per modum totius potestativi dividit in suas virtutes, & applicationes ad diversa loca per operationes illorum. Aliam acceptionem partium potentialium, seù potestativarum assignant, & explicant nostri Salmant. loco suprà cit. ex tom. 3. vbi loquendo de virtutibus: sic elucidant partes potentiales ipsarum virtutum, his verbis: ***Partes denique potentiales vocantur quædam virtutes minus principales, quæ alteri principaliori adiunguntur, cuius rationem non perfectè attingunt, sicut subiectiuæ attingunt; ac proinde, nec talis virtus de eis quidditatiuè prædicatur: habent verò cum illa connexionem; vel quia ordinātur ad actus minus principales in eadem materia: vel quia in modo procedendi, & moderandi passiones, & actus appetitus assimilantur modo proprio talis virtutis; & licèt nunquam plenè participent rationem virtutis Cardinalis, cui attribuuntur; aliquando tamen ex aliis capitibus perfectionem eius absolutè superant, vt de latria, quæ ponitur pars potentialis iustitiæ, diximus suprà ad art. 2. quæst. 61.*** Hæc illi. Ex quibus deduces quid dicendum sit in alijs materijs cum proportione.

S. Thom. · Salmant.

114 ***Partes potentiales*** generaliter loquendo dicuntur ***illa, quæ sunt partes in potentia***: vel ***dividunt totum aliquod potentiale***. Possunt tamèn in speciali multipliciter accipi. Primò, pro ***partibus potestativis*** paulò antè explicatis, quòd constat ex verbis D. Thomæ, & Salmanticensium, qui quidem etiam vtuntur hoc nomine ***partis potentialis***. Secundò, dicuntur tales, ***quæ non sunt partes in actu; tamen ratione alicuius possunt saltem accidentaliter dici partes in actu***, sicut portiones sub-

 stan-

stantiæ in sententia nostrorum Complut. in libris de generat. quæ non sunt partes in actu; possunt verò reddi accidẽtaliter partes formaliter à quantitate formali. Idemque dicendum est de alijs accidentibus, quę rationequãtitatis solùm habent partes actuales, & consequenter quantitativas, vt albedo, calor, relatio, &c. Tertiò, possunt dici *partes potentiales, quæ dividunt totum potentiale*, id est, quòd in potentia continet illa, in quę potest dividi, vt genus respectu suarum specierum. Quapropter species possunt dici rectè *partes potentiales*; licèt vt suprà diximus, propriè appellantur *partes subiectivæ*. Partes *actuales* dicuntur *illæ, quæ actualiter componunt aliquod totum*. Partes *morales*, seu *partes moraliter tales*, sunt illæ, *quæ licèt re vera sint simpliciter tota; in æstimatione hominum reputantur partes alicuius, quòd etiam in hominum æstimatione reputatur vnum totum; licèt re vera vnum totum non sit; sed plura*: vt patet in exercitu, qui vnus dicitur, & pro vno reputatur, non tamen physicè; siquidem constat ex pluribus physicè totis simpliciter, nempè hominibus, equis, armis, &c. Et similiter dicitur vnus formaliter numero locus lapidis fixi; etiam si aliquando vltima superficies continens sit in aqua: aliquando in aëre: aliquando in igne: vel in alio corpore: nam ab omnibus his corporibus potest lapis ille pro diversis temporibus successivè circunscribi, in quibus evidens est nõ posse vnicam numero physicè relationẽ, neque vnam numero physicè quantitatem recipi; sed diversam: ergo si locus cõsistit in tali quãtitate, id est, vltima superficie illius, & relatione, evidens est non posse esse physicè vnum numero locum; sed moraliter. Maximè quia potest talis lapis simul partim circunscribi à terra, partim auro, & argento, &c. In quibus repugnat eadem numero phy-

physicè relatio, & quantitas, & hoc modo interpretandi sunt Complutenses nostri, & alij Thomistæ, & Philosophi dum agendo de loco affirmant quod etiam si quātitates, & relationes materialiter fluant, & refluant: formaliter tamèn manet, & eadem numero relatio, & eadem numero quantitas formaliter, & consequēter idem numero locus formaliter, nam ly *formaliter*, vertendum est in ly *moraliter*, & sic omnia consonant principia physica, & ab angustijs quisque liber est huius satis difficilis materię, quę non tâm ex re trahitur difficultas; quàm ex modo loquendi. In quo etiam sensu dixit Pater Suarez in tertiam partem tractatu de Incarn. disp. 15. sect. 6. quod licèt sanguis naturalis, & natura humana sint plura entia physicè rigorosè; siquidem constituūtur diversis formis physicis rigorosis; tamèn quasi physicè, id est, moraliter, sunt vnum ens quod sufficit, vt Verbum divinum, licèt vtramque assumpserit naturam, non dicatur bis incarnatū fuisse; etiam si prædictus Suarez non omnia verba ista expresè proferat; sed illativè quidam affirment. Ex quibus patet, quibus etiam modis dicatur compositum, & totum divisibile in partes; siquidem ad minus tot modis dicitur totum, ac dicuntur partes.

Complut. Thomistæ. Philosophi

Suarez.

Aliqui.

## CAPVT XVI.

### *De alijs distinctionibus.*

115 Quinquagesima quinta distinctio est: quoad *specificationem*, v.g. concedo; *quoad exercitium*, nego: hæc distinctio præcipuè traditur cum de necessarijs respectibus agitur. *Necessitari quoad specificationem circà aliquod obiectum* est, *quod licèt possit absolutè non operari in ordine ad illud; nihilominus ex suppositione quod illud attingat, debet elicere actum determinatæ speciei, & non alterius*: vel quod si ta-

talis, v.g. potentia operatura est, *debet esse circa tale obiectum, & non circa aliud*, vt potentia visiva circa visibile, visionem exercendo. *Necessitari autem quoad exercitium*, est, *quod non solùm determinetur ad speciem actus; sed etiam quod à tali actu circa tale obiectum non possit cessare*: quo pacto necessitatur voluntas ad amandum Deum clarè visum: quia non solùm nequit eum odisse; sed neque ab amore cessare; siquidem vndequaquè diligibilis apparet. Ita nostri Complut. in logic. disp. 18. quæst. 4. num. 16. in Resumpta. Videatur cap. 17. num. 122. *Complut.*

116 Quinquagesima sexta distinctio est: *frequenter, seù in plurimum*, concedo; *semper*, nego. Hic est advertendum, quod illud, quod *frequenter fit*, vel *est tale*, solet absolutè, & nullo addito dici tale; sed hoc est, quia attenditur ad id, quòd communiter, & vt in plurimum fit, vel est; non autem, quia intendatur affirmari quod illud semper fit. Et hoc modo non raro explicantur plures propositiones, quæ vniversaliter enuntiantur, & in particularem, aùt non vniversalem sensum trahuntur.

117 Quinquagesima septima distinctio est: *Grammaticaliter*, v.g. concedo: *realiter*, nego. *Esse*, vel *dici tale Grammaticaliter*, est, *esse, vel dici tale præcisè attendendo ad Grammaticalem significationem*, ad quam non semper attendunt Scholastici in toto rigore. Vndè stat quod aliquid dicatur, vel sit tale *Grammaticaliter*, & non *realiter*, & secundum veritatem. *Esse tale realiter* quid sit, diximus cap. 12. num. 87. *Scholast.*

118 Quinquagesima octava distinctio est inter duos ex his terminis, scilicèt, *naturaliter, connaturaliter, intentionaliter, spiritualiter, supernaturaliter, & obedientialiter.* Esse *naturaliter tale* est primò, *esse tale secundum propriam naturam, & quidditatem*, sive sit quid infinitum, vt

Deus

Deus naturaliter est Æternus, Bonus, &c. sive sit quid creatum, vt homo naturaliter est intellectivus, risibilis, &c. vel vt calor naturaliter est obiectum tactus: & productivus alterius caloris, &c. & sic de cæteris alijs rebus habentibus aliquod esse in rerum natura, adhuc ad supernaturalem ordinem pertinẽtibus. Immo etiam suo modo in entibus rationis hoc ipsum invenitur. Et hoc modo ***esse naturaliter tale*** coincidit cũ ***esse tale necessariò***, sive essentialiter, sive accidentaliter, de quo videri potest

*S.Thom.* D.Thomas 1.2. quæst.10. art.1.in corpore. Secundò sumitur, vt contraponitur ad ***esse supernaturaliter***, quo pacto includit omnia pertinẽtia quomodocumque ad hoc vniversum, quòd lumine naturali cognoscitur, vt Deus secundùm quod est Auctor naturæ, Angeli, Cœli, Elementa, mixta, & quæ sub his continentur secundum suum esse, vel specificum vt homo, vel individuale vt Petrus, & accidentia, modique illorum. Insuper compræhenditur ***esse intentionaliter tale***, vt pertinet ad cognitionem rerum naturalium secundum virtutes naturales, & sibi necessario debitas, vel ab ipsis naturaliter acquirendas; immo includit ***esse tale violenter***. Tertiò, accipitur ***esse naturaliter tale***, vt contraponitur ad ***esse intentionaliter***, de quo infra. Quartò, vt contraponitur ad ***liberum***, quo pactò includit ea, quæ sunt necessaria, & præcisè voluntaria; nam ***voluntarium***, vt infra dicemus, non convertitur cum ***libero***. Quintò, vt contraponitur ad ***voluntarium***, qua ratione dicit, quòd sit sine cognitione ex necessitate naturæ, vt ignem calefacere, & ignire. Sextò, vt contraponitur ad ***violenter***, & sic includit quod est ex necessitate naturæ, & etiam voluntarium, & liberum; immò & supernaturale. Insuper in casu magnæ necessitatis, quando scilicèt, maximè vrget argumen-

tum, nec salvatur supra dictis, potest dici quod includit etiam *esse tale coactè*, quia *esse tale violenter*, addit aliquid suprà *coactè*, licèt solùm quoad maiorem extensionem, vt dicetur postea cap. 17. num. 124. *Esse tale connaturaliter respectu alicuius*, est, *esse iuxta inclinationem, proportionem, virtutem, aut capacitatem naturæ illius*. Esse tale *intentionaliter*, est, *esse tale in esse repræsentatiuo, seu esse repræsentationem illius talis per modum speciei sensibilis, vel intelligibilis*: nam imago depicta Cæsaris non dicitur propriè loquendo Cæsar intentionaliter: quia talis imago est propriè qualitas physica, vt condistincta ab intentionali. Secundò, potest intelligi quod sit res pertinens ad *esse intentionale*, vel directè, vt species intētionales repræsentantes obiecta, & lux, si fortè verum est esse per se ipsam sensibilem independenter ab specie, eo quod sit eminenter qualitas intentionalis, & naturalis, vt tenet Bañez probabiliter 1. p. quæst. 67. art. 3. vèl indirectè, vt ea, quæ pertinent, & concurrunt ad cognitionem, vel repręsentationem, vt præcisse exercent hoc munus, si indirectè tamen concurrant. Tertiò, sumitur pro *esse tale vialiter, vel transeunter*, vt contraponitur ad esse fixum non verò ad esse naturale, in quo sensu explicant nostri Complut. de anima, disp. 9. quæst. 1. num. 9. in Resumpta, cum Ferrara, lib. 2. de anima, quæst. 14. illud dictum D. Thomæ quæst. 5. de potent. art. 1. ad 6. *Lumen non est in aëre per modum formæ naturalis; sed magis per modum intentionis*. Vndè *intentionaliter immutari*, est *aliter se habere nunc, ac prius, aliquo ex prædictis modis*. Notandum venit hìc, hanc immutationem intentionalem solere dici *immutationem spiritualem*, etiam in sensibus externis, in quibus omnes immutationes re vera sunt corporeę: quare sumitur *spirituale*, vt contraponitur ad *esse* ma-

Bañez.
Complut.
Ferrara.
S. Thom.

*materiale* modo præcisè naturali; non verò intentionali. Et ita accepit D. Thomas 1. part. quæst. 78. art. 3. ad 4. vbi ait: *Tactus immutatur naturali immutatione, & non solùm spirituali.* Vbi supponit spiritualiter immutari.

S. Thom.

119 Esse *tale spiritualiter*, seu *esse spirituale*, tot modis dicitur, ac *spiritus*, hìc autem multipliciter sumitur secundùm D. Thomam in 1. sent. dist. 10. q. 1. art. 4. in corpore, cuius hæc sunt verba: *Respondeo, dicendum quod spiritus est nomen impositum ad significandum subtilitatem alicuius naturæ, vndè dicitur tàm de corporalibus, quàm incorporeis. Aër enim spiritus dicitur proptèr subtilitatem, & exinde attractio aëris, & expulsio, dicitur inspiratio, & respiratio. Et exinde ventus etiam dicitur spiritus, & exinde etiam subtilissimi vapores, per quos difunduntur virtutes animæ in partes corporis, dicuntur spiritus; & similiter incorporea propter suam subtilitatem dicuntur spiritus: sicut dicimus duos spiritus, & Angelum, & animam; & inde est etiam quod dicimus homines amantes se, & concordes, esse vnius spiritus, vel conspiratos; sicut etiam dicimus eos esse vnum cor, & vnam animam, sicut dicitur Ethic. 9. propriũ amicorum est vnam animam in duobus corporibus esse. Subtilitas enim dicitur per remotionem à materialitate. Vndè ea, quæ habent multum de materia, vocamus grossa, sicut terram, & ea, quæ minus, subtilia, sicut aërem, & ignem. Vndè cum removeri a materia, magis sit in incorporeis, & maximè in Deo, spiritualitas secundùm rationem significationis suæ per prius invenitur in Deo, & magis in incorporeis, quam corporalibus; quamvis fortè secundùm impositionem nominis, spiritualitas magis se teneat ad corporalia, eo, quòd nobis, qui nomina imposuimus, eius subtilitas magis est manifesta.* Hæc Divus Thomas. Quibus ferè consonant, quæ idem Angelicus Præceptor 4. con-

S. Thom.

S. Thom.

contra gentes, cap. 23. mirificè tràddit. *Esse tale supernaturaliter*, est: Primò, propriè, & absolutè loquendo, & significat illud, *quòd est supra omnem exigentiam, & virtutem totius naturæ creatæ, aùt creabilis.* Sumpta natura in secunda acceptione, in qua supra accepimus *esse tale naturaliter.* Potest aliquid *esse tale supernaturaliter*, vel quoad substantiam, seu entitatem, vt gratia sanctificans, charitas, lumen gloriæ, vnio hypostatica; vèl quoad modum fiendi: ita quidem, quòd licèt ipsa res sit naturalis, habuit tamen *esse*, modo, seu actione supernaturali, vt Lazarus resuscitatus; siquidem resurrectio est supra totam virtutem naturæ. Et Cœlum quid naturale est, & tamen habuit esse per actionem supernaturalem, nempè creationem. Secundò, modo dicitur aliquid tale supernaturaliter, *terminatiuè*, seu ex parte termini, vt potentia obedientialis creaturæ ad Deum, vt Auctorem supernaturalem. Tertiò, sumitur esse tale supernaturaliter, *respectiuè*, id est, quòd licèt absolutè, & propriè sit quid naturale; tamen est supra exigentiam alicuius naturæ, & respectu illius dicitur quid supernaturale, vt generatio equi quid naturale èst, & tamen respectu formicę est quid supernaturale; quia est supra omnem naturam, & exigentiam formicæ. Et anima rationalis in esse obiecti est quid naturale; & tamèn respectu potentiæ visivæ corporeę, est quid supernaturale. Et Angelus vt cognoscibilis prout in se, & quidditatiuè, est quid naturale; & tamèn respectu intellectus nostri prout in hoc statu vnionis ad corpus, est supernaturalis proptèr eamdem rationem. *Esse tale obedientialiter*, est, *esse tale secundùm obedientiam, seù potentiam obedientialem ad aliquod.* Vel ad Deum, vt Auctorem supernaturalem, & hanc habet quælibet creatura: vel ad aliquod agens, quòd violen-

ter

ter potest in habentem talem potentiam introducere formam contra eius naturam, vt potentia, quam habet aqua, vt calefiat ab igne. Obedientia autem ad aliquod agens naturale, vt imprimat formam, quam iuxta suam naturam, vèl sine violentia potest recipere, non dicitur potentia obedientialis; sed naturalis, licèt hæc vltima acceptio, nempè recipere sine violentia formam, ad quam præcisè habet quamdam indifferentiam, potest dici aliquantulum obedientialis, & aliquantulum naturalis: quia videtur quoddam medium inter potentiam propriè naturalem, & obedientialem. Potentia obedientialis numquàm est proximè activa in sententia D. Thomæ, & Discipulorum eius; sed proximè receptiva, & mediante illo quod recipit potest operari.

S.Thom. Thomistæ.

## CAPVT XVII.

### De alijs distinctionibus.

120 Qvinquagesima nona distinctio est, inter duos ex his septem terminis, scilicèt, ***voluntariè, liberè, necessariò, violentèr, coactè, involuntariè, & invitè***. Circa quorum explicationem aliquantulū immorabimur propter magnam non solùm vtilitatem; sed etiam necessitatem, maximè ad materiam de moribus. Omne autem, quòd dicemus circa præsentem distinctionem erit, iuxta doctrinam nostrorum Salmant. tom. 3. tract. 10. ***Agere voluntariè***, est, quòd opus sit voluntarium, ***voluntarium*** igitur in communi deffinitur sic: ***Est ab intrinseco cum cognitione***. Vndè cum non solùm in homine; sed etiam in brutis possit aliquid procedere ab intrinseco, & cum cognitione, propriè loquendo, sequitur, quòd voluntarium, tàm

Salmant.

tàm in homine, quàm in brutis propriè inveniatur. Voluntarium sic sumptum dividitur in voluntarium in actu; & in potentia. *Voluntarium in actu, est quidquid de facto, & in exercitio procedit ab appetitu supponente cognitionem*, & est effectus illius. *Voluntariũ in potentia est illud, quòd non dum processit ab huiusmodi appetitu; sed continetur in eius virtute in actu primo, seù in potentia.* Secundò, voluntarium, aliud perfectum; aliud imperfectum. *Volumtarium perfectum est, quod regulatur per cognitionem perfectam*, qualis est sola intellectiva diiudicans plenè rationes boni, & mali, inventas in obiecto, seu fine, & proportionem mediorũ cum ipso fine. *Voluntarium imperfectum est, quòd regulatur cognitione imperfecta*, qualis est omnis cognitio sensitiva: vel intellectiva, quoties non discernit plenè prædictas boni, & mali rationes. Ex quibus sequitur voluntarium imperfectum inveniri non solùm in appetitu sensitivo; sed etiam in voluntate. Non autem dicitur voluntariũ imperfectum, quia vnivocè non participet rationem voluntarij; sed quia respectivè ad perfectum, parum habet perfectionis. Voluntarium perfectũ dividitur in liberum, & necessarium. *Liberum est quod procedit cum indifferentia ad vtrumlibet*, de quo infra: *Necessarium est quod fit cum determinatione ad vnũ ex vi cognitionis summæ bonitatis, ita rapientis ad se voluntatem, vt tollat indifferentiam ad aliud obiectum*, vti se habet bonitas divina clarè visa. Ex quibus sequitur, voluntarium perfectum solùm inveniri in voluntate, seù appetitu rationali. Notandum est, voluntarium brutorũ semper esse necessarium. Et insupèr non rarò voluntarium rationis esse necessarium propter inadvertentiam, & indeliberationem. Insuper notetur, quòd licèt plures ex divisionibus sequentibus possint applicari voluntario imperfe-

cto; tamèn præcipuè illas proponemus exemplificãdo in voluntario perfecto. Tertiò, dividitur voluntarium in elicitum; & imperatum. *Elicitum est ipse actus voluntatis, qui ab ea elicitur*; etiam si eliciatur medio habitu existente in ipsa voluntate, v.g. charitatis: quia pro eodem agente vtrumque physicè reputatur adæquatè. *Imperatum est quod fit ab alijs potentijs ex motione, aùt imperio voluntatis.* Quartò, voluntarium aliud est formale; aliud virtuale. *Voluntarium formale est, quòd procedit ex formali, & expressa cognitione illud regulante.* Virtuale *est, quod procedit ex cognitione virtuali, & implicita, directè dirigente voluntatem, vt positiuè influat*; in quo distinguitur à voluntario interpretativo, seù indirecto, quòd solet etiam dici virtuale. Quintò, voluntarium, vnum directum; aliud indirectum, seù interpretativum. *Voluntarium directum est, quod fluit è voluntate, siue mediatè, siue immediatè per verum influxum positiuum.* Indirectum, seu interpretativum *est, quod non exit positiuè ab ea; imputatur tamen ei, quia advertens non impedit, cum possit, & teneatur*: quo pacto ommissiones, & earum effectus dicuntur voluntarij. Dicitur *voluntarium interpretativum*, quia & si voluntas in illud positivè non influat; tamèn ex eo, quòd advertenter non impediat dum potest, & tenetur, ita se habet, ac si positivè ad illud concurreret. Sextò, voluntarium aliud est tale in se; aliud voluntarium in alio: *Voluntarium in se est, ad quod voluntas terminatur in se, siue mediatè, siue immediatè; etiam si actus sit imperatus*: quia iste verè potest appeti in se, vt percusio Petri. Elicitus enim à voluntate semper est voluntarius in se. *Voluntarium in alio est, ad quod tendit voluntas prout in alio contentum, ex quo sequitur, vel cum quo comitatur, dum tamèn culpabiliter ignoretur, & ad illud*

non

***non advertatur***, vt percussio illius, quem cognoscit esse hominem, vincibiliter ignorans esse Sacerdotem: nam tùnc præter peccatum percusionis, datur sacrilegium. Sub hoc continetur voluntarium in causa. Secundò, voluntarium, aliud physicum; aliud morale. ***Physicum est, quod procedit à voluntate propria personæ.*** Morale ***est, quod est à voluntate suppositi alterius, in quantum reputatur propria, prout vnus potest suum consensum in alium transferre.*** Hæc autem translatio quatuor modis valet contingere. Primò, quando aliquis dat alteri consensum, vt quidquid ab eo nomine ipsius factum fuerit, habeat ipse firmum, & ratum. Secundò, ex dispositione iuris, aut iudicis, qua ratione voluntas tutoris censetur voluntas pupilli. Tertiò, quia vnus continetur naturaliter sub potestate alterius, vt filius parvulus sub potestate, & dominio parentis; Quapropter voluntas patris de illo disponentis censetur voluntas parvuli. Quartò, ratione pacti, quòd vnus acceptat pro se, & pro omnibus contentis in se; qua ratione voluntas Adami reputatur voluntas omnium ab ipso descendentium ex vi pacti cum Deo de privilegio iustitiæ originalis sub conditione non transgrediendi mandatum Dei. Sic omnia prædicti nostri Salmantic. vbi suprà disp. 1. dub. 1.

121 Liberum deffinitur ab Aristot. 1. Metaph. cap. 2. sic: ***Quod est causa sui, sui iuris, suæ potestatis, experſque alienæ subiectionis.*** Qua ratione opponitur servo, captivo, obligato, aùt quomodolibet alterius potestati subiecto. Vndè sequitur tot modis dici aliquid liberum, quot excludit subiectionem; & illud magis liberum, quòd magis illam excludit. Subiectio igitur est multiplex, & cõsequentèr multiplex poterit esse liberum (relictis quoad præsens subiectionibus, & libertatibus personarum, de quibus Iu- *Aristot.*

*Iurista.* Iuristæ.) Primò, enim datur ſubiectio ad agens extrinſecum, quæ contingit quoties in operante non datur principium ſubfficiens actus quoad omnes rationes potentes agenti immediato correſpondere: ideoquè movetur ab alio, cuius determinationem omninò ſequitur: quę quidem ſubiectio in omnibus motibus ad rationem perfecti voluntarij non pertingentibus invenitur; & appellatur *ſubiectio cogens*; non quia ſemper ſint actus coacti, ſed quiá à principio extrinſeco proveniunt, quòd proprium eſt actus coacti. Et huic correſpódet prima acceptio libertatis, quæ dicitur *libertas à coactione*; quia eſt libertas, vt excludit ſubiectionem coactionis, *Aliqui.* quam libertatem aliqui appellant *libertatem à neceſsitate*; ſed quidem ſumunt neceſsitatem pro coactione explicata. Secundò, datur ſubiectio ad principium intrinſecum, quod aliquando omni extrinſeco excluſo eſt per ſe ad agendum determinatum, nullam relinquens indifferentiam: & proptèr hoc illi ſubijcitur actus: ideòque poteſt dici *ſubiectio neceſsitatis. Vel neceſsitas ab intrinſeco: ſeù neceſsitas tota voluntaria*; ſiquidem nihil invenitur diminuens voluntarium. Et vt cótraponitur huic ſubiectioni conſtituitur ſecunda acceptio libertatis, appellaturque *libertas indifferentiæ, ſeù libertas arbitrij*; ſiquidem liberum arbitrium *eſt facultas voluntatis, & rationis, vnum præ alio eligendi: aut vnum, & idem acceptandi, & reſpuendi*. In quo explicatur indifferentia ad vtrumlibet, vel quoad ſpecificationem, vel quoad exercitium, diciturque abſolutè *libertas*. Prædictæ duæ acceptiones libertatis, dicuntur *libertates naturæ*, vel *phyſicæ*; quia per ſola principia naturalia, & phyſica homini cóvenit. Tertiò, datur ſubiectio ad aliquid non neceſsitans, ſed inclinans voluntatem cótra rationem, vt verè incli-

clinant habitus vitiosi, vitiosæ dispositiones, suasiones, tentationes, quæ quidem impellunt voluntatem ad malum, vt ait S. Thomas in 2. dist. 25. art. 2. etiam si absolutè liberum arbitrium, nec necessitent, nec compellant: & sic quoddammodo datur subiectio, diciturque *subiectio miseriæ, & peccati*: quia inclinant ad pœnam, & culpam, vel ad reducibilia ad istas. Et vt contraponitur huic subiectioni datur tertia acceptio libertatis, quæ dicitur *libertas à culpa, & miseria*, quæ ab aliquibus bi partitur, & alijs appellatur nominibus: Altera dicitur *libertas gratiæ*, quæ tollit culpam. Altera *libertas gloriæ*, quæ miseriam tollit. Quartò, datur subiectio ad regulam dirigentem, & mensurantem actū, vt debitum, & modo debito assequatur finem, quæ dicitur *subiectio moralis*, neque augens, neque diminuens physicam libertatem, aut indifferentiam. Et vt isti subiectioni opponitur constituitur quarta acceptio libertatis, quæ dicitur *libertas exemptionis*, eo, quòd nullum cognoscit superiorem. Quapropter absolutè, & simpliciter in solis actibus diuinæ voluntatis inuenitur. Item libertas, alia dicitur *contradictionis*; alia *cōtrarietatis*. Libertas cōtradictionis, *est libertas ad aliquid faciendum, vèl non faciendum*, id est, versans inter extrema contradictoria: & hæc dicitur absolutè *libertas*. Libertas contrarietatis, est, *libertas ad extrema contraria*, videlicèt amorem, vel odium: & hæc libertas includit duas libertates contradictionis, scilicèt, ad amorem; vel non amorem: ad odium; vel non odium: siquidem non posset amare, si non posset ponere non esse odij: neque posset odisse, si non poneret non esse amoris, & in hoc distinguuntur istæ libertates.

S. Thom. | Aliqui.

122 *Necessarium* est multiplex. Primum, est *necessariū absolutè sumptum*, &

Aristot. & deffinitur ab Aristot. 5. Metaph.cap.5.sic: *Est quod aliter se habere non potest.* Secundum, est *ex suppositione*, & dicitur illud, *quòd licèt absolutè necessarium non sit, facta tamen aliqua suppositione fit necessarium.* Et hoc necessarium dividitur iuxta numerum causarum. Insuperquè dividi potest in *necessarium simpliciter*; *& necessarium ad melius esse*: v.g. ex parte finis. Necessarium simpliciter est, *sine quo nequit finis acquiri*. Necessarium ad melius esse, est, *illud sine quo potest absolutè finis acquiri; sed melius acquiritur cum illo.* Necessitas, alia dicitur *quoad exercitium*; *alia quoad specificationem*, de quibus supr. cap. 16. num. 115. egimus. *Sequi aliquid necessariò ex aliquo*, potest esse dupliciter: *vel necessitate cõsequentis*: vel *necessitate consequentiæ, seu infallibilitatis*. Sequi autem necessariò necessitate *consequentis*, est, *sequi absolutè, seu physicè, & simpliciter necessariò*: & ipsum, quòd sequitur, absolutè est necessarium, vt ex rationali sequitur risibile. *Sequi verò necessariò necessitate consequentiæ, seu infallibilitatis, non est sequi necessariò physicè, seu absolutè, & simpliciter; sed secundùm quid, & cum addito, scilicèt, ex suppositione existentiæ rei, & arguitiuè, seu logicè.* Et illud, quòd sic sequitur, neutiquàm dicitur absolutè, & simpliciter necessarium, sed secundùm quid, & cum addito, id est, ex suppositione, vt patet in amore, qui sequitur ad prædeterminationem efficacem Dei ad ipsum amorem, necessariò necessitate consequentiæ solùm, & infallibilitatis: ideò talis amor est absolutè liber, & meritorius, vt tota tenet Schola Thomistarum, & alij: siquidem prædeterminatio attẽperatur naturæ liberæ creatæ: & quamvis sequetur amor; tamen sequetur liberè. Vide n.57.& 130. Thomista. Alij.

123 *Violentum* communiter dicitur ex Aristotele 3. Ethic. cap.1. *Quod est à principio extrinseco,* Aristot.

*passo non conferente vim.* Et ly *non conferente vim*, non sumitur à Doctoribus negativè; sed quasi contrariè, & per modum repugnantiæ, & sic vertunt: *quod & à principio extrinseco, passo resistente.* Doctores.

124 *Coactum est à principio extrinseco, passo resistente, media actione elicita.* Et ideò propriè loquendo nō invenitur *coactum* in rebus insensibilibus.

125 *Involuntarium* ex parte convertitur cum *violento*; tamèn aliquantulùm latius patet; siquidem *involuntarium* etiam dicitur quod procedit ab intrinseco cum ignorantia; sicut *voluntarium* quod procedit cum cognitione.

126 *Invitum* correspondet *coacto*, & non rarò Philosophus vsurpavit pro *involuntario*, sivè ex *ignorantia*, sivè ex *metu*, sivè ex *violentia*; est tamèn aliqualis differentia inter illa: nam *coactum*, & *involuntarium* supponunt pro actione, quæ ab extrinseco extorquetur: aùt pro passione, quæ contra inclinationem appetitus recipitur. Attamèn *invitum*, est denominatio ipsius principij, vel subiecti, quòd involuntariè, vel coactè agit, vel patitur. Aristot.

127 Hæc licèt in rigore ita sint, communis tamèn vsus loquendi *coactum* dicit *omne violentum*. Et non rarò Auctores *violentum coactum*, *involuntarium*, & *invitum* pro eodem vsurpant, dum de modo liberè non operandi, agere contendunt: & culpam, aùt meritum: pœnam, vel pręmium actibus humanis assignant. Per quæ omnia patet quādo aliquid dicetur tale *voluntariè*, *liberè*, *necessariò*, *coactè*, *involuntariè*, &c. Com. vs. Auctor.

## CAPVT XVIII.

### *Aliæ distinctiones declarantur.*

128 Sexagesima distinctio est, *specificatiuè*, v.g. concedo; *reduplicatiuè*, nego. Isti termini ponuntur ad distinguendas

das propositiones reduplicativas, scilicèt, habentes subiectum reduplicatũ ratione alicuius particulæ reduplicativæ, vt *in quantum, quatenus, qua ratione, vt tale, &c* Et tùnc dicitur aliquid verificari de aliquo *in quãtum tale specificatiuè, quando reduplicatur aliqua ratio formalis, seu natura, cui convenit tale prædicatũ; dum tamen non sit causa talis prædicati.* Tùnc verò verificatur de aliquo, *in quantum tale reduplicatiuè, quãdo reduplicatur causa propria talis prædicati*: vt *homo in quantum rationalis est risibilis*; quia esse rationale est causa risibilis. *Specificatiuè* verificatur quod *in quantum risibilis, est rationalis.* Tamen cõmuniter loquendo, iam venit in vsum, quòd *esse tale specificatiuè* sumatur pro *esse tale materialiter*; & *esse tale reduplicatiuè* pro *esse tale formaliter*, quòd benè videbis suprà cap. 5. num. 40.

*Com. vsus.*

129 Sexagesima prima distinctio, quæ est communisima apud Scholasticos, & præcipuè Thomistas, est, *in sensu composito*, v. g. concedo; *in sensu diuiso*, nego. Ad hanc distinctionem explicandam duplici via proceditur. Prima, perversæ intelligentiæ, & applicata ad efficaciam divinæ gratiæ reddit propositiones hæreticas, qualis invenitur apud Calvinum, & Lutherum; & defensores scientiæ mediæ quondàm attribuebant Thomistis; cum sit manifestissima impostura, vt impatienter, ait Magister Ioannes Gonçalez in 1. part. quæst. 19. art. 8. disput. 57. num. 48. Iam quidem veram interpretationem nostram supponunt. Secunda, est verissima, & aptissima ad componendam efficaciam divinę voluntatis cum libero arbitrio, qua vtuntur Aristot. D. Thomas, & communis Schola Thomistarum. Sed vt cum maiori claritate procedam, pono hanc propositionem: *Homo, efficaciter præmotus a Deo ad amorem, potest disentire*: quæ sic distinguitur, *in sen-*

*Scholast.* *Thomistæ.* *Calvinus.* *Lutherus.* *Iesuitæ.* *Magister Gonçalez.* *Aristot.* *S. Thom.* *Com. Thomistæ.*

*sensu diuiso*, concedo; *in sensu cōposito*, nego. Quam distinctionem sic explicant Calvinus, & Lutherus: *Potest disentire in sensu diuiso, id est, si ab illo fuerit sublata præmotio efficax Dei ad amorem; non tamen potest disentire in sensu composito, id est, si in homine maneat præmotio efficax Dei ad amorem*. Ex quo inferunt, quòd efficax Dei auxilium inducit necessitatem in voluntate humana, & consequenter, opera nostra non esse libera, quā intelligentiam, iniuriosissimum est Thomistis adscribere: siquidem apud ipsos non dicitur *sensus diuisus*, aût *compositus*, ex eo, quòd diuidat, aut componat præmotionem cum voluntate, & significet quod ea posita, & retenta, voluntas nequit disentire; sed solùm ea semota, & exclusa. Dicitur tamen prædictus *sensus diuisus*, & *compositus*, vt statim videbis.

*Calvinus.* *Lutherus.*

130. Secunda, & verissima intelligentia Thomistarum est: *homo, efficaciter præmotus à Deo ad amorem, potest disentire in sensu diuiso*, id est, simul cum efficaci auxilio, & præmotione ad amorem habet potentiam proximam, & expeditam ad non amandum, vel odio habendum; non tamen ad coniungendum non amorem cum efficaci præmotione, aut prædeterminatione, seu auxilio ad amorem: nam idem iudicium fertur de prædeterminatione ad amorem; ac de ipso amore propter infallibilem connexionem. Vndè sicut homo, dum actu amat, habet potentiam proximam ad non amandum; non autem ad coniungendum non amorem, vel odium cum amore, ita dicendum venit de præmotione; quod magis explicatur alijs propositionibus. In primis igitur in hac propositione: *Homo iustus potest peccare mortaliter in sensu diuiso*: non est sensus, *quòd simul potest ponere peccatum mortale cum gratia, quam habet; sed quod homo habens gratiam*,

*Thomistæ.*

ha-

*habet potentiam proximam ad peccandum mortaliter, quo peccato posito destrueretur gratia.* Similiter in hac propositione: *Homo actu ridens, potest flere in sensu diuiso*, interpretatur sic: *Homo, dum actu ridet, habet potentiam proximam ad flendum, qui fletus si poneretur, excluderet risum; non tamen habet potentiam ad coniungẽdum risum cum fletu. Homo autem, efficaciter præmotus à Deo ad amorem, non potest dissentire in sensu composito*, reddit hunc sensum: *Homo efficaciter præmotus à Deo ad amorem, non potest coniungere simul non amorem, aut odium cum prædeterminatione ad amorem*; sicut nec potest quis coniungere simul amorem cũ non amore, aut odio: & sicut nequit quis coniungere simul gratiam cum peccato mortali: aut simul etiam risum cum fletu: aut stare cum sedere. Vndè deducitur manifestè, non tolli libertatem per prædictam Dei præmotionem efficacem; siquidem adhuc manet voluntas simul cum potentia ad oppositum; Alijs terminis solet tradi prædicta distinctio, scilicèt, *potest disentire potentia antecedenti*, concedo; *potentia consequenti*, nego. Posse potentia antecedenti, est posse in sensu diviso; Posse verò potentia consequenti, est posse in sensu composito. Videatur capite 9. num. 57. & cap. 17. num. 122. vbi alia similia explicantur, ad istam distinctionem pertinentia.

## CAPVT XIX.

*De modo occurrendi argumentis à causis, & effectibus, ex ratione, & auctoritate.*

131 EXplicatis iam prædictis distinctionibus, & terminorum acceptionibus, ex quibus cuilibet facile erit alias, si fortè occurrerint, explicare, & ostendere; sicut & cuilibet propositioni terminos applicare eo proportionali modo, quo secundam, v.g. distinctio-

nem traditam suprà num. 40. applicatam relinquimus diversis propositionibus num.41.& 42. accedimus iam ad nostrum laborem applicandum, & practicādum, eodemquè procedam ordine, ac in primo opusculo de regulis rectè argumentandi. Quapropter ab argumento à causis principium sumimus. Pro quo notandum est, aliquid posse dici *causam* multipliciter. Primò, *materialiter.* Secundò, *formaliter.* Tertiò, *simpliciter.* Quartò, *secundùm quid* (de quibus terminis, & illorum acceptionibus, egimus cap.5.) Dicitur quintò, *essentialiter.* Sextò, *substantialiter.* Septimò, *accidentaliter.* Octavò, *per naturam.* Nonò, *per participationem.* Decimò, *per se.* Vndecimo, *per accidens.* Duodecimo, *ratione sui.* Decimotertiò, *ratione alterius* (de quibus cap.6.) Decimoquartò, *vt quo.* Decimoquintô, *vt quod.* Decimosextò, *intrinsicè* (de quibus cap.7.) Decimooctavò, *in intentione.* Decimononò, *in executione.* Vigesimo, *vltimatè.* Vigesimoprimò, *non vltimatè.* Vigesimosecundò, *primariò.* Vigesimotertiò, *secundariò* (de quibus cap.8.) Vigesimoquartò, *præsuppositiuè.* Vigesimoquintò, *consecutiuè.* Vigesimosextò, *concomitanter.* Vigesimoseptimò, *causaliter*, & *exigentialiter.* Vigesimooctavò, *subiectiuè.* Vigesimononò, *obiectiuè*, vel *terminatiuè.* Trigesimo, *radicaliter.* Trigesimoprimò, *fundamentaliter.* Trigesimosecundò, *remotè*, *seu mediatè.* Trigesimotertiò, *proximè*, seu *immediatè.* Trigesimoquartò, *connexiuè* (de quibus cap.9.) Trigesimoquintò, *positiuè.* Trigesimosextò, *priuatiuè.* Trigesimoseptimò, *negatiuè.* Trigesimooctavò, *permissiuè* (de quibus cap.10.) Trigesimononò, *genericè*, id est, secundùm rationem genericam. Quadragesimo, *specificè*, id est, secundū rationem specificam. Quadragesimoprimò, *æquivocè.* Quadragesimosecundò, *analogicè.* Quadragesi-

motertiò, *denominatiuè* (de quibus cap. 11.) Quadragesimoquartò, *actualiter*. Quadragesimoquintò, *aptitudinaliter*, seu *potentialiter*. Quadragesimosextò, *habitualiter*. Quadragesimoseptimò, *entitatiuè*. Quadragesimooctavò, *modaliter*. Quadragesimononò, *Phisicè*. Quinquagesimo, *Metaphysicè*. Quinquagesimoprimô, *Logicè*. Quinquagesimosecundò, *Moraliter* (de quibus cap. 12.) Quinquagesimotertiò, *virtualiter*. Quinquagesimoquartò, *in fieri*. Quinquagesimoquintò, *in facto esse*. Quinquagesimosextò; *directè*. Quinquagesimoseptimò, *indirectè*. Quinquagesimo octavò, *eiusdem ordinis*. Quinquagesimononò, *diuersi ordinis* (de quibus cap. 13.) Sexagesimo, *absolutè*. Sexagesimoprimò, *respectiuè*. Sexagesimosecundò, *propriè*. Sexagesimotertiò, *impropriè*. Sexagesimoquartò, *implicitè*, seù *quoad implicitum*. Sexagesimoquintò, *explicitè*, seù *quoad explicitum*. Sexagesimosextò, *permanenter*. Sexagesimoseptimò, *transeunter*, seu *vialiter* (de quibus cap. 14.) Sexagesimooctavò, *innitiatiuè*. Sexagesimononò, *completiuè*. Septuagesimo, *adaequatè*, seù *completè*. Septuagesimoprimò, *inadaequatè*, seù *incompletè*. Septuagesimosecundò, *totaliter*. Septuagesimotertiò, *partialiter* (de quibus cap. 15.) Septuagesimoquartò, *semper*. Septuagesimoquintò, *vt in plurimum*, seu *frequenter*. Septuagesimosextò, *naturaliter*, aùt *connaturaliter*. Septuagesimoseptimò, *intentionaliter*. Septuagesimooctavò, *supernaturaliter* (de quibus cap. 16.) Septuagesimononò, *voluntariè*. Octogesimo, *liberè*. Octogesimoprimò, *necessariò*. Octogesimosecundò, *violenter*. Octogesimotertiò, *coactè*. Octogesimoquartò, *inuoluntariè*, aùt *invitè* (de quibus cap. 17.) & quilibet ex supra dictis terminis plures habet acceptiones, vt in proprijs locis videre licèt. Et sicut istius termini, &

causæ considerationes tribuuntur causæ in communi, possunt etiam aptari causis in particulari, v.g. causæ materiali, aut formali, efficienti, aut finali, quarum quælibet alia addit alias acceptiones secundum species, aut quasi species, in quas potest dividi, de quo videatur opusculum primum, cap. 3.

132 Vndè constat quàm faciliter quisque valeat ab argumentorũ præsuris liberari. Nam si quis absolutè affirmet, aliquam rem non esse, v.g. causam materialem alicuius, & traddantur auctoritates, & rationes, quibus videatur probare esse causam materialem illius, respondendum erit. Primò, quod est causa materialis *per accidens*, id est, quædam ratio accidentaliter coniuncta cum causa materiali, vt calor accidẽtaliter potest coniungi cum substantia recipiente albedinem, sicut in genere causæ efficientis Musicus est causa per accidens statuæ; non quia verè Musica sit ratio producendi statuam aliqua vera causalitate; sed quia per accidens coniungitur cum vera causa, aut ratione causandi statuam (quomodò invenitur etiam causa per accidens in omnibus generibus causarum) cum quo tamen stat nullo modo esse causam, licèt causa dicatur. Vel secundò, poterit responderi, esse causam materialem *consecutiuè*, id est, quid consecutum ad causam materialem. Vel tertiò, *concomitanter*, id est, quid concomitans ipsam causam. Vel quartò, *causaliter*, id est, causa talis causæ materialis. Vel quintò, *exigentialiter*, id est, quòd habeat exigentiam ad talem causam materialem. Vel sextò, *terminatiuè*, aùt *obiectiuè*, id est, quòd sit terminus, vel obiectum illius causæ materialis. Vel septimò, *negatiuè*, aùt *præcisiuè*, in quo sensu habet plures acceptiones, vt suprà diximus cap. 10. Vel octavò, *æquiuocè*, sicut homo mortuus, aut pictus dicitur homo.

Vel

Vel nonò, *impropriè*, aùt *secundùm quid*, vt in exemplo posito patet. Cum quibus omnibus rectè componitur absolutè non esse causam materialem.

133 Si autem defenderit, aliquid esse absolutè causam materialem, & tradantur auctoritates, & rationes, quibus videatur probari non esse causam materialem: respondeatur quod non est causa materialis *per accidens*, vel *consecutiuè*, vel *concomitanter*, vel *causaliter*, vel *existentialiter*, vel *terminatiuè*, vel *obiectiuè*, vel *negatiuè*, vel *præcisiuè*, vel *æquiuocè*, vel *impropriè*, vel *secundùm quid*. Cum quibus etiam omnibus semper stat, illud esse absolutè causam materialem. Semper quidem disponat distinctionem, vt neque auctoritati, neque rationi opponatur, nec naturæ rei, de qua tale prædicatum dicitur; sed quamdam habeat cōmensurationem, quam stabiliat, si possit cum aliquibus similibus, seu paritatibus, ad quod opus est, vt benè calleat, & commendet memoriæ, quæ in explicationibus vniuscuiusque distinctionis obseruabimus. Quod si affirmaverit, aliquid non posse causare aliquem effectum, & probetur manifestè auctoritatibus, aut rationibus, verè influere in talem effectum. Respōdeatur, vel primò, quòd influit solùm per modum *conditionis*. Vel secundò, in alio genere causæ. Vel tertiò, *instrumētaliter*, aut *per modum medij*. Vel quartò, *fundamentaliter* solùm, aùt *remotè*. Vel quintò, *moraliter*. Vel sextò, *in obliquo, &c.* Cum quibus componitur non posse absolutè causare effectū. Vel si concurrit principaliter, dicatur quod concurrit *innitiatiuè*, vel *completiuè*, vel *incompletè*, aut *partialiter*, & quod conclusio est quod nequit causare *principaliter* omnimodo. Tamen si auctoritas, vel ratio benè probet, esse causam principalem absolutè: Respondeatur secundùm diversitatem acceptionum

huius termini *absolutè*, capit. 14. explicatam. Et dicatur quod conclusio procedit in hac, v.g. acceptione; & ratio, aut auctoritas arguentis in alia diversa: ad quod debet magnoperè attendere, & considerare benè regulas formandi rationes opusc. 1. tradditas: nam ex diverso principio res diversa infertur. Ex quibus etiam constat, quibus modis dicatur effectus, & quomodo argumento *ab effectibus*, occurremus. Patet quidem tot modis dici causam, ac effectus, & quod proportionabiliter, sicut ex causis inferuntur effectus; ita ex effectibus causæ demonstrantur: & consequenter sicut occurritur argumento *à causis*; ita proportionabiliter argumento *ab effectibus*.



## CAPVT XX.

***De modo occurrendi argumentis ab oppositis, à similibus, à nomine, à definitione, à diuisione, & à testimonio.***

134 EX dictis cap. præcedenti sufficienter constabat, quòd in hoc venit dicendum; tamen ad maiorem explicationem scopi nostri hoc etiam excitabimus, præcipuè quidem, vt ostendatur quibus modis dicatur aliquid oppositum, vel simile alicui præter modos enumeratos in opusc. 1. cap. 10. & 11. Immo quibus modis quælibet species oppositorum, vel similium ex ibidem enumeratis dici valeat, nempè primò, *materialiter*, aùt secundùm diversam rationem. Secundò, *formaliter*, aùt secundùm eamdem rationem. Tertiò, *simpliciter*. Quartò, *secundùm quid* (de quibus terminis egimus 5. cap.) Quintò, *essentialiter*. Sextò, *accidentaliter*. Septi-

timò, *per naturam*. Octavò, *per participationem*. Nonò, *per se*. Decimo, *per accidens*. Vndecimo, *ratione sui*. Duodecimo, *ratione alterius* (de quibus cap. 6.) Decimotertiò, *vt quo*. Decimoquartò, *vt quod*. Decimoquintò, *intrinsecè*. Decimosextò, *extrinsecè*. Decimoseptimò, *in esse rei*. Decimooctavò, *in esse attingibilis*, vel *scibilis* (de quibus cap. 7.) Decimononò, *in intentione*. Vigesimo, *in executione*. Vigesimoprimò, *vltimatè*. Vigesimosecundò, *non vltimatè*. Vigesimotertiò, *primariò*. Vigesimoquartò, *secūdariò* (de quibus cap. 8.) Vigesimoquintò, *præsuppositiuè*. Vigesimosextò, *consecutiuè*, vel *illatiuè*. Vigesimoseptimò, *concomitanter*. Vigesimooctavò, *causaliter*. Vigesimononò, *exigentialiter*. Trigesimo, *subiectiuè*. Trigesimoprimò, *obiectiuè*, vel *terminatiuè*. Trigesimosecundò, *radicaliter*, aut *fundamentaliter*. Trigesimotertiò, *remotè*, seu *mediatè*. Trigesimoquartò, *proximè*, vel *immediatè*. Trigesimoquintò, *connexiuè* (de quibus cap. 9.) Trigesimosextò, *positiuè*. Trigesimoseptimò, *priuatiuè*. Trigesimooctavò, *negatiuè*. Trigesimononô, *præcisiuè*. Quadragesimo, *permissiuè* (de quibus capit. 10.) Quadragesimoprimò, *vniuocè*. Quadragesimosecūdò, *æquivocè*. Quadragesimotertiò, *analogicè*. Quadragesimoquartò, *denominatiuè* (de quibus cap. 11.) Quadragesimoquintò, *vniversaliter*. Quadragesimosextò, *particulariter*. Quadragesimoseptimò, *actualiter*. Quadragesimooctavò, *aptitudinaliter*, vel *potentialiter*. Quadragesimononò, *habitualiter*. Quinquagesimo, *identicè*, aut *entitatiuè*. Quinquagesimoprimò, *modaliter*. Quinquagesimosecundò, *Physicè*. Quinquagesimotertiò, *Metaphysicè*. Quinquagesimoquartò, *Logicè*. Quinquagesimoquintò, *Moraliter* (de quibus cap. 12.) Quinquagesimosextò, *virtualiter*. Quinquagesimoseptimò, *in fieri*. Quinquage-

huius termini *absolutè*, capit. 14. explicatam. Et dicatur quod conclusio procedit in hac, v.g. acceptione; & ratio, aut aucto[illegible] tas arguentis in [illegible] versa: ad quo[illegible] noperè a[illegible] siderar[illegible] mand[illegible] tra[illegible] p[illegible]

[illegible] Sexagesimoquintò, *in concretò*. Se[illegible] *abstracti*[illegible] seù *in abstracto*. Sexagesimoseptimò, *absolutè*. Sexagesimooctavò, *respe*[illegible] Sexagesimononò, *aliud*. Septuagesimo, *impropriè*. Septuagesimoprimò, *implicitè*. Septuagesimosecundò, *explicitè*. Septuagesimotertiò, *connotatiuè*, seù *in obliquo*. Septuagesimoquartò, *in recto* (de quibus cap. 14.) Septuagesimoquintò, *innitiatiuè*. Septuagesimosextò, *completiuè*. Septuagesimoseptimò, *adæquatè*, seù *completè*, vel *totaliter*. Septuagesimooctavò, *inadæquatè*, vèl *incompletè*, vel *partialiter* (de quibus cap. 15.) Septuagesimononò, *naturaliter*. Octogesimo, *connaturaliter*. Octogesimo[illegible] *ir*, aut [illegible] *tiuo*. Octogesimosecundò, *super*[illegible] Octogesimo[illegible] *necessariò*. Octogesimoquartò, *reduplicatiuè*. Octogesimoquintò, *specificatiuè*, *&c*. de quibus cap. 16. & 17. Et modus occurrendi argumentis *ab oppositis*, & *similibus*, est proportionabiliter idem, ac diximus cap. præcedenti ad argumentum *à causis*: Quapropter censemus ommittendum.

135 Argumentum *à nomine* cum parú vrgeat, vt diximus opusc. 1. cap. 12. nisi sumatur pro argumento illud, quòd est à causa formali, & iam dictum sit de modo occurrendi argumentis *à causis*; ideò nihil agimus in præsenti capite, videatur tamèn in hoc opusc. cap. 16. num. 117. Et hìc notetur, nomen aliquod posse de aliquibus dici, aùt illis adaptari, vel *univocè*, vel *æquivocè*, vel *analogicè*, vel *denominatiuè*, de quibus largè actum est suprà cap. 11. vndè possunt plura

sol-

solvi argumenta ex nomine desumpta: nam si argumentum se habeat ita: *habent idem nomen: ergo eamdem naturam*, poterit negari consequentia; dicendo, vel nomen esse æquivocum, cuius non est habere eamdem naturam illa, quæ tali insigniuntur nomine; vel esse analogum, cuius res significata non invenitur æqualiter in omnibus tale nomen participantibus.

136 Vt sciatur autem occurrere argumentis à *definitione*, oportet etiam scire quibus modis definitio possit convenire alicui rei. Potest enim esse multipliciter: Primò, *materialiter*, quia scilicèt cōvenit alicui, quòd se habet de materiali ad talem rem. Secundò, *formaliter*. Tertiò, *simpliciter*. Quartò, *secundùm quid*. Quintò, *essentialiter*. Sextò, *accidentaliter*. Septimò, *per essentiam*, aùt *naturam*. Octavò, *per participationem*. Nonò, *per se*. Decimo, *per accidens*. Vndecimo, *vt quo*. Duodecimo, *vt quod*. Decimotertiò, *primariò*. Decimoquartò, *secundariò*. Decimoquintò, *præsuppositiuè*. Decimosextò, *consecutiuè*, aùt *illatiuè*. Decimoseptimò, *concomitanter*. Decimooctavò, *causaliter*. Decimononò, *exigentialiter*, & ferè eisdem modis, ac diximus de oppositione, & similitudine: & capite præcedenti. Idemque dicendum erit de quolibet alio prædicato, quòd queit alicui convenire, & eodem modo occurrendum, ac argumentis *à causis*. Videatur subsequens numerus, cuius doctrina poterit huic applicari.

137 Quantum attinet ad modum occurrendi argumentis à *divisione*, eodem proportionali modo fiat; Hìc tamèn clarius ostendam: Nam si intendat argumentum probare aliquam divisionem non esse bonam, quia datur, v.g. per duo membra dividentia, & invenitur aliud membrum dividens distinctum ab illis; respondeat prædictam divisionem esse in-

*sensu diuiso*, concedo; *in sensu cōposito*, nego. Quam distinctionem sic explicant Calvinus, & Lutherus: *Potest disentire in sensu diuiso, id est, si ab illo fuerit sublata præmotio efficax Dei ad amorem; non tamen potest disentire in sensu composito, id est, si in homine maneat præmotio efficax Dei ad amorem*. Ex quo inferunt, quòd efficax Dei auxilium inducit necessitatem in voluntate humana; & consequenter, opera nostra non esse libera, quā intelligentiam iniuriosissimum est Thomistis adscribere: siquidem apud ipsos non dicitur *sensus diuisus*, aût *compositus*, ex eo, quòd dividat, aut componat præmotionem cum voluntate, & significet quod ea posita, & retenta, voluntas nequit disentire; sed solùm ea semota, & exclusa. Dicitur tamen prædictus *sensus diuisus*, & *compositus*, vt statim videbis.

Calvinus. Lutherus.

130 Secunda, & verissima intelligentia Thomistarum est: *homo, efficaciter præmotus à Deo ad amorem, potest disentire in sensu diuiso*, id est, simul cum efficaci auxilio, & præmotione ad amorem habet potentiam proximam, & expeditam ad non amandum, vel odio habendum; non tamen ad coniungendum non amorem cum efficaci præmotione, aut prædeterminatione, seu auxilio ad amorem: nam idem iudicium fertur de prædeterminatione ad amorem; ac de ipso amore propter infallibilem connexionem. Vndè sicut homo, dum actu amat; habet potentiam proximam ad non amandum; non autem ad coniungendum non amorem, vel odium cum amore, ita dicendum venit de præmotione; quod magis explicatur alijs propositionibus. In primis igitur in hac propositione: *Homo iustus potest peccare mortaliter in sensu diuiso*: non est sensus, *quòd simul potest ponere peccatum mortale cum gratia, quam habet; sed quod homo habens gratiam, ha-*

Thomistæ.

*habet potentiam proximam ad peccandum mortaliter, quo peccato posito destrueretur gratia.* Similiter in hac propositione: *Homo actu ridens, potest flere in sensu diuiso*, interpretatur sic: *Homo, dum actu ridet, habet potentiam proximam ad flendum, qui fletus si poneretur, excluderet risum; non tamen habet potentiam ad coniungẽdum risum cum fletu. Homo autem, efficaciter præmotus à Deo ad amorem, non potest dissentire in sensu composito*, reddit hunc sensum: *Homo efficaciter præmotus à Deo ad amorem, non potest coniungere simul non amorem, aut odium cum prædeterminatione ad amorem*; sicut nec potest quis coniungere simul amorem cũ non amore, aut odio: & sicut nequit quis coniungere simul gratiam cum peccato mortali: aut simul etiam risum cum fletu: aut stare cum sedere. Vndè deducitur manifestè, non tolli libertatem per prædictam Dei præmotionem efficacem; siquidem adhuc manet voluntas simul cum potentia ad oppositum; Alijs terminis solet tradi prædicta distinctio, scilicèt, *potest dissentire potentia antecedenti*, concedo; *potentia consequenti*, nego. Posse potentia antecedenti, est posse in sensu diuiso; Posse verò potentia consequenti, est posse in sensu composito. Videatur capite 9. num. 57. & cap. 17. num. 122. vbi alia similia explicantur, ad istam distinctionem pertinentia.

## CAPVT XIX.

*De modo occurrendi argumentis à causis, & effectibus, ex ratione, & auctoritate.*

131 EXplicatis iam prædictis distinctionibus, & terminorum acceptionibus, ex quibus cuilibet facile erit alias, si fortè occurrerint, explicare, & ostendere; sicut & cuilibet propositioni terminos applicare eo proportionali modo, quo secundam, v.g. distinctionem

nem traditam suprà num. 40. applicatam relinquimus diversis propositionibus num. 41. & 42. accedimus iam ad nostrum laborem applicandum, & practicãdum, eodemquè procedam ordine, ac in primo opusculo de regulis rectè argumentandi. Quapropter ab argumento à causis principium sumimus. Pro quo notandum est, aliquid posse dici *causam* multipliciter. Primò, *materiam...* Secundò, *formaliter*. Tertiò, *simpliciter*. Quartò, *secundùm quid* (de quibus terminis, & illorum acceptionibus, egimus cap. 5.) Dicitur quintò, *essentialiter*. Sextò, *substantialiter*. Septimò, *accidentaliter*. Octavò, *per naturam*. Nonò, *per participationem*. Decimo, *per se*. Vndecimo, *per accidens*. Duodecimo, *ratione sui*. Decimotertiò, *ratione alterius* (de quibus cap. 6.) Decimoquartò, *vt quo*. Decimoquintô, *vt quod*. Decimosextò, *intrinsicè* (de quibus cap. 7.) Decimooctavò, *in intentione*. Decimononò, *in executione*. Vigesimo, *vltimatè*. Vigesimoprimò, *non vltimatè*. Vigesimosecundò, *primariò*. Vigesimotertiò, *secundariò* (de quibus cap. 8.) Vigesimoquartò, *præsuppositiuè*. Vigesimoquintò, *consecutiuè*. Vigesimosextò, *concomitanter*. Vigesimoseptimò, *causaliter*, & *exigentialiter*. Vigesimooctavò, *subiectiuè*. Vigesimononò, *obiectiuè*, vel *terminatiuè*. Trigesimo, *radicaliter*. Trigesimoprimò, *fundamentaliter*. Trigesimosecundò, *remotè*, *seù mediatè*. Trigesimotertiò, *proximè*, seu *immediatè*. Trigesimoquartò, *connexiuè* (de quibus cap. 9.) Trigesimoquintò, *positiuè*. Trigesimosextò, *priuatiuè*. Trigesimoseptimò, *negatiuè*. Trigesimooctavò, *permissiuè* (de quibus cap. 10.) Trigesimononò, *genericè*, id est, secundùm rationem genericam. Quadragesimo, *specificè*, id est, secundũ rationem specificam. Quadragesimoprimò, *æquivocè*. Quadragesimosecundò, *analogicè*. Quadragesi-

motertiò, *denominatiuè* (de quibus cap. 11.) Quadragesimoquartò, *actualiter.* Quadragesimoquintò, *aptitudinaliter*, seu *potentialiter.* Quadragesimosextò, *habitualiter.* Quadragesimoseptimò, *entitatiuè.* Quadragesimooctavò, *modaliter.* Quadragesimononò, *Phisicè.* Quinquagesimo, *Metaphysicè.* Quinquagesimoprimò, *Logicè.* Quinquagesimosecundò, *Moraliter* (de quibus cap. 12.) Quinquagesimotertiò, *virtualiter.* Quinquagesimoquartò, *in fieri.* Quinquagesimoquintò, *in facto esse.* Quinquagesimosextò, *directè.* Quinquagesimoseptimò, *indirectè.* Quinquagesimo octavò, *eiusdem ordinis.* Quinquagesimononò, *diuersi ordinis* (de quibus cap. 13.) Sexagesimo, *absolutè.* Sexagesimoprimò, *respectiuè.* Sexagesimosecundò, *propriè.* Sexagesimotertiò, *impropriè.* Sexagesimoquartò, *implicitè*, seù *quoad implicitum.* Sexagesimoquintò, *explicitè*, seù *quoad explicitum.* Sexagesimosextò, *permanenter.* Sexagesimoseptimò, *transeunter*, seu *vialiter* (de quibus cap. 14.) Sexagesimooctavò, *innitiatiuè.* Sexagesimononò, *completiuè.* Septuagesimo, *adaequatè*, seù *completè.* Septuagesimoprimò, *inadaequatè*, seù *incompletè.* Septuagesimosecundò, *totaliter.* Septuagesimotertiò, *partialiter* (de quibus cap. 15.) Septuagesimoquartò, *semper.* Septuagesimoquintò, *vt in plurimum*, seu *frequenter.* Septuagesimosextò, *naturaliter*, aùt *connaturaliter.* Septuagesimoseptimò, *intentionaliter.* Septuagesimooctavò, *supernaturaliter* (de quibus cap. 16.) Septuagesimononò, *voluntariè.* Octogesimo, *liberè.* Octogesimoprimò, *necessariò.* Octogesimosecundò, *violenter.* Octogesimotertiò, *coactè.* Octogesimoquartò, *inuoluntariè*, aùt *inuitè* (de quibus cap. 17.) & quilibet ex supra dictis terminis plures habet acceptiones, vt in proprijs locis videre licet. Et sicut istius termini, &

causæ considerationes tribuuntur causæ in communi, possunt etiam aptari causis in particulari, v.g. causæ materiali, aut formali, efficienti, aut finali, quarum quælibet alia addit alias acceptiones secundum species, aut quasi species, in quas potest diuidi, de quo videatur opusculum primum, cap. 3.


132. Vndè constat quàm faciliter quisque valeat ab argumentorũ præsuris liberari. Nam si quis absolutè affirmet, aliquam rem non esse, v.g. causam materialem alicuius, & traddantur auctoritates, & rationes, quibus videatur probare esse causam materialem illius, respondendum erit. Primò, quod est causa materialis *per accidens*, id est, quædam ratio accidentaliter coniuncta cum causa materiali, vt calor accidẽtaliter potest coniungi cum substantia recipiente albedinem, sicut in genere causæ efficientis Musicus est causa per accidens statuæ; non quia verè Musica sit ratio producendi statuam aliqua vera causalitate; sed quia per accidens coniungitur cum vera causa, aut ratione causandi statuam (quomodò inuenitur etiam causa per accidens in omnibus generibus causarum) cum quo tamen stat nullo modo esse causam, licèt causa dicatur. Vel secundò, poterit responderi, esse causam materialem *consecutiuè*, id est, quid consecutum ad causam materialem. Vel tertiò, *concomitanter*, id est, quid concomitans ipsam causam. Vel quartò, *causaliter*, id est, causa talis causæ materialis. Vel quintò, *exigentialiter*, id est, quòd habeat exigentiam ad talem causam materialem. Vel sextò, *terminatiuè*, aùt *obiectiuè*, id est, quòd sit terminus, vel obiectum illius causæ materialis. Vel septimò, *negatiuè*, aùt *præcisiuè*, in quo sensu habet plures acceptiones, vt suprà diximus cap. 10. Vel octavò, *æquiuocè*, sicut homo mortuus, aut pictus dicitur homo.

Vel

Vel nonò, *impropriè*, aut *secundùm quid*, vt in exemplo posito patet. Cum quibus omnibus rectè componitur absolutè non esse causam materialem.

133 Si autem defenderit, aliquid esse absolutè causam materialem, & tradantur auctoritates, & rationes, quibus videatur probari non esse causam materialem: respondeatur quod non est causa materialis *per accidens*, vel *consecutiuè*, vel *concomitanter*, vel *causaliter*, vel *exigentialiter*, vel *terminatiuè*, vel *obiectiuè*, vel *negatiuè*, vel *præcisiuè*, vel *æquiuocè*, vel *impropriè*, vel *secundùm quid*. Cum quibus etiam omnibus semper stat, illud esse absolutè causam materialem. Semper quidem disponat distinctionem, vt neque auctoritati, neque rationi opponatur, nec naturæ rei, de qua tale prædicatum dicitur; sed quamdam habeat cómensurationem, quam stabiliat, si possit cum aliquibus similibus, seu paritatibus, ad quod opus est, vt benè calleat, & commendet memoriæ, quæ in explicationibus vniuscuiusque distinctionis observabimus. Quod si affirmaverit, aliquid non posse causare aliquem effectum, & probetur manifestè auctoritatibus, aut rationibus, verè influere in talem effectum. Respódeatur, vel primò, quòd influit solùm per modum *conditionis*. Vel secundò, in alio genere causæ. Vel tertiò, *instrumētaliter*, aut *per modum medij*. Vel quartò, *fundamentaliter* solùm, aùt *remotè*. Vel quintò, *moraliter*. Vel sextò, *in obliquo, &c.* Cum quibus componitur non posse absolutè causare effectū. Vel si concurrit principaliter, dicatur quod concurrit *innitiatiuè*, vel *completiuè*, vel *incompletè*, aut *partialiter*, & quod conclusio est quod nequit causare *principaliter* omnimodo. Tamen si auctoritas, vel ratio benè probet, esse causam principalem absolutè: Respondeatur secundùm diversitatem acceptionum

huius termini *absolutè*, capit. 14. explicatam. Et dicatur quod conclusio procedit in hac, v.g. acceptione; & ratio, aut auctoritas arguentis in alia diversa: ad quod debet magnopere attendere, & considerare benè regulas formandi rationes opusc. 1. tradditas: nam ex diverso principio res diversa infertur. Ex quibus etiam constat, quibus modis dicatur effectus, & quomodo argumento *ab effectibus*, occurremus. Patet quidem tot modis dici causam, ac effectus, & quod proportionabiliter, sicut ex causis inferuntur effectus; ita ex effectibus causæ demonstrantur: & consequenter sicut occurritur argumento *à causis*; ita proportionabiliter argumento *ab effectibus*.



## CAPVT XX.

*De modo occurrendi argumentis ab oppositis, à similibus, à nomine, à definitione, à diuisione, & à testimonio.*

134 Ex dictis cap. præcedenti sufficienter constabat, quòd in hoc venit dicendum; tamen ad maiorem explicationem scopi nostri hoc etiam excitabimus, præcipuè quidem, vt ostendatur quibus modis dicatur aliquid oppositum, vel simile alicui præter modos enumeratos in opusc. 1. cap. 10. & 11. Immo quibus modis quælibet species oppositorum, vel similium ex ibidem enumeratis dici valeat, nempè primò, *materialiter*, aùt secundùm diversam rationem. Secundò, *formaliter*, aùt secundùm eamdem rationem. Tertiò, *simpliciter*. Quartò, *secundùm quid* (de quibus terminis egimus 5. cap.) Quintò, *essentialiter*. Sextò, *accidentaliter*. Septi-

timò, *per naturam*. Octavò, *per participationem*. Nonò, *per se*. Decimo, *per accidens*. Vndecimo, *ratione sui*. Duodecimo, *ratione alterius* (de quibus cap. 6.) Decimotertiò, *vt quo*. Decimoquartò, *vt quod*. Decimoquintò, *intrinsicè*. Decimosextò, *extrinsicè*. Decimoseptimò, *in esse rei*. Decimooctavò, *in esse attingibilis*, vel *scibilis* (de quibus cap. 7.) Decimononò, *in intentione*. Vigesimo, *in executione*. Vigesimoprimò, *vltimatè*. Vigesimosecundò, *non vltimatè*. Vigesimotertiò, *primariò*. Vigesimoquartò, *secūdariò* (de quibus cap. 8.) Vigesimoquintò, *præsuppositiuè*. Vigesimosextò, *consecutiuè*, vel *illatiuè*. Vigesimoseptimò, *concomitanter*. Vigesimooctavò, *causaliter*. Vigesimononò, *exigentialiter*. Trigesimo, *subiectiuè*. Trigesimoprimò, *obiectiuè*, vel *terminatiuè*. Trigesimosecundò, *radicaliter*, aut *fundamentaliter*. Trigesimotertiò, *remotè*, seu *mediatè*. Trigesimoquartò, *proximè*, vel *immediatè*. Trigesimoquintò, *connexiuè* (de quibus cap. 9.) Trigesimosextò, *positiuè*. Trigesimoseptimò, *priuatiuè*. Trigesimooctavò, *negatiuè*. Trigesimononô, *præcisiuè*. Quadragesimo, *permissiuè* (de quibus capit. 10.) Quadragesimoprimò, *vniuocè*. Quadragesimosecūdò, *æquivocè*. Quadragesimotertiò, *analogicè*. Quadragesimoquartò, *denominatiuè* (de quibus cap. 11.) Quadragesimoquintò, *vniuersaliter*. Quadragesimosextò, *particulariter*. Quadragesimoseptimò, *actualiter*. Quadragesimooctavò, *aptitudinaliter*, vel *potentialiter*. Quadragesimononò, *habitualiter*. Quinquagesimo, *identicè*, aut *entitatiuè*. Quinquagesimoprimò, *modaliter*. Quinquagesimosecundò, *Physicè*. Quinquagesimotertiò, *Metaphysicè*. Quinquagesimoquartò, *Logicè*. Quinquagesimoquintò, *Moraliter* (de quibus cap. 12.) Quinquagesimosextò, *virtualiter*. Quinquagesimoseptimò, *in fieri*. Quinqua-

gesimooctavò, *in facto esse*. Quinquagesimononò, *directè*. Sexagesimo, *indirectè*. Sexagesimoprimò, *intensiuè*. Sexagesimosecundò, *extensiuè*. Sexagesimotertiò, *eiusdem ordinis*. Sexagesimoquartò, *diuersi ordinis* (de quibus cap. 13.) Sexagesimoquintò, *concretiuè*, seù *in concretò*. Sexagesimosextò, *abstractivè*, seu *in abstracto*. Sexagesimoseptimò, *absolutè*. Sexagesimooctavò, *respectiuè*. Sexagesimononò, *propriè*. Septuagesimo, *impropriè*. Septuagesimoprimò, *implicitè*. Septuagesimosecundò, *explicitè*. Septuagesimotertiò, *connotatiuè*, seù *in obliquo*. Septuagesimoquartò, *in recto* (de quibus cap. 14.) Septuagesimoquintò, *innitiatiuè*. Septuagesimosextò, *completiuè*. Septuagesimoseptimò, *adæquatè*, seù *completè*, vel *totaliter*. Septuagesimooctavò, *inadæquatè*, vèl *incompletè*, vel *partialiter* (de quibus cap. 15.) Septuagesimononò, *naturaliter*. Octogesimo, *connaturaliter*. Octogesimoprimò, *intentionaliter*, aùt *in esse repræsentatiuo*. Octogesimosecundò, *supernaturaliter*. Octogesimotertiò, *necessariò*. Octogesimoquartò, *reduplicatiuè*. Octogesimoquintò, *specificatiuè*, *&c.* de quibus cap. 16. & 17. Et modus occurrendi argumentis *ab oppositis*, & *similibus*, est proportionabiliter idem, ac diximus cap. præcedenti ad argumentum *à causis*: Quapropter censemus ommittendum.

135 Argumentum *à nomine* cum parù vrgeat, vt diximus opusc. 1. cap. 12. nisi sumatur pro argumento illud, quòd est â causa formali, & iam dictum sit de modo occurrendi argumentis *à causis*; ideò nihil agimus in præsenti capite, videatur tamèn in hoc opusc. cap. 16. num. 117. Et hìc notetur, nomen aliquod posse de aliquibus dici, aùt illis adaptari, vel *univocè*, vel *æquivocè*, vel *analogicè*, vel *denominatiuè*, de quibus largè actum est suprà cap. 11. vndè possunt plura

sol-

ſolvi argumenta ex nomine deſumpta: nam ſi argumentum ſe habeat ita: ***habent idem nomen: ergo eamdem naturam***, poterit negari conſequentia, dicendo, vel nomen eſſe æquivocum, cuius non eſt habere eamdem naturam illa, quæ tali inſigniuntur nomine; vel eſſe analogum, cuius res ſignificata non invenitur æqualiter in omnibus tale nomen participantibus.

136 Vt ſciatur autem occurrere argumentis à ***definitione***, oportet etiam ſcire quibus modis definitio poſsit convenire alicui rei. Poteſt enim eſſe multipliciter: Primò, ***materialiter***, quia ſcilicèt cōvenit alicui, quòd ſe habet de materiali ad talem rem. Secundò, ***formaliter***. Tertiò, ***ſimpliciter***. Quartò, ***ſecundùm quid***. Quintò, ***eſſentialiter***. Sextò, ***accidentaliter***. Septimò, ***per eſſentiam***, aùt ***naturam***. Octavò, ***per participationem***. Nonò, ***per ſe***. Decimo, ***per accidens***. Vndecimo, ***vt quo***. Duodecimo, ***vt quod***. Decimotertiò, ***primariò***. Decimoquartò, ***ſecundariò***. Decimoquintò, ***præſuppoſitiuè***. Decimoſextò, ***conſecutiuè***, aùt ***illatiuè***. Decimoſeptimò, ***concomitanter***. Decimooctavò, ***cauſaliter***. Decimononò, ***exigentialiter***, & ferè eiſdem modis, ac diximus de oppoſitione, & ſimilitudine: & capite præcedenti. Idemque dicendum erit de quolibet alio prædicato, quòd queit alicui convenire, & eodem modo occurrendum, ac argumentis ***à cauſis***. Videatur ſubſequens numerus, cuius doctrina poterit huic applicari.

137 Quantum attinet ad modum occurrendi argumentis à ***diviſione***, eodem proportionali modo fiat; Hìc tamèn clarius oſtendam: Nam ſi intendat argumentum probare aliquam diviſionem non eſſe bonam, quia datur, v.g. per duo membra dividentia, & invenitur aliud membrum dividens diſtinctum ab illis; reſpondeat prædictam diviſionem eſſe in-

inadæquatam, & quod ad bonam divisionem inadæquatam non est necessum, quòd omnia membra dividentia ponãtur; sed sufficere ponere aliqua pro tunc ad intentum pertinentia. Quod si divisio aliqua fuerit tri membris, & benè probet argumẽtum, vnum membrum dividens non participare perfectè rationem divisi; respondeat talem divisionem esse analogam, ad quam requiritur divisum non participari æqualiter ab omnibus. Si autèm probet nullo modo rationem significatam per nomen vni ex illis convenire; sed simpliciter, & omninò differre: Respondeat esse divisionem, in qua nomen æquivocum dividitur in sua æquivocata. Quapropter omnia congruunt; siquidem ad talem divisionem illud à fortiori requirebatur. Si autem iam dictum fuerit divisionem esse vnivocam: respondeat esse vnivocam respectivè ad duo membra dividentia; non autem absolutè respectu omnium, stando quod vnum ex tribus perfectè non participet rationem divisi; alia verò duo illam perfectè participent. Vel dicat, esse vnivocam secundùm quid: vel illam imperfectionem non esse in ratione communi; sed in ratione particulari, & differentiali, quòd non tollit vnivocationem in ratione communi. Si verò in secundo casu procedat, videlicèt, quando omnia membra dividentia omninò differant, & solùm in nomine conveniant, nequit alio modo solvi argumẽtum, nisi dicendo, quòd est vnivoca illa divisio quoad nomen, & quod dicitur vnivoca æquivocè, & secundùm quid. Et cum proportione dicatur circa alia argumenta. Videatur opusc. 1. cap. 14. Vndè poterunt faciliter plura solvi argumenta.

138 Argumentum *à testimonio* solvitur in quacumque materia; sicut dictum est in hoc capite, & præcedenti. Aliqua tamen notare oportet. Primum, est

est exempla non semel tradi ab Auctoribus ex doctrina contraria ad suam explicandam; non quia sentiant in tali doctrina opposita esse veritatem; sed quia ad similitudinem illius possunt illam ostendere, & explicare. Et ideò dum ex D. Thoma traditur, v.g. quædam auctoritas, in qua exemplificat dicendo, de re quæ traditur in exemplum, aliquid oppositum nostrę assertioni: si non possit interpretari juxta modum præscriptum in hoc, & præcedenti capite, dicatur tale exẽplum adduci à S. Thoma in sententia aliorum; non autèm in propria, & consequenter quod non tenemur ad talem doctrinam; sicut etiam facit S.Thom. idem D. Thomas; nam cum instaretur in quadam doctrina exemplis, quibus Aristot. vtebatur Aristot. respondet Angelicus Præceptor 1.p. quæst.67. art.2. ad 2. *Non est multum curandum de his exemplis, quæ Aristoteles inducit in libris Logicalibus; quia inducit ea vt probabilia secundum opinionem aliorum.* Qua solutione vtuntur nostri Complutens. lib. de anima, disp. 9. quæst. 1. num. 9. in Resumpta, ad quamdam auctoritatem Div. Thomæ cótra nostram doctrinam, & alibi. Complut. Secundum est, quòd non statim dicatur, v.g. D. Thomam se retractasse, nisi quando ita expressissimè opponitur, vt neutiquam valeat explicari in aliquo verò sensu: Quod vt constat ex dictis rarissimè evenire potest. Si autèm quidam tandèm affirmet, v.g. D. Thomam se retractasse, aut mutasse sententiam, debet inspicere, quòd ipse stet verbis D. Thomæ, quæ in illis libris continentur, qui fuerunt scripti post illum, vel illos, ex quibus traditur testimonium in oppositum: nam siècontra contingat ex suo ore se manifestabit convictus defendens: siquidem nequit in scriptis retractari, quòd nondum est scriptum; sed quod prius est scriptum, retractatur per dictum po-

ste-

ſterioris operis. Tertium eſt, quòd quando traditur auctoritas alicuius Sancti, vel Auctoris magni nominis, non ſtatim dicat ſe etiam ſequi alios Sanctos, & magnos Doctores, & quod inter Sanctos, & Doctores in rebus Fidei non oppoſitis ſunt non ſemel oppoſita placita; ſed conetur quantùm potuerit prius illos in aliquo ſenſu explicare ſuæ concluſioni non oppoſito, quòd ex traditis non erit arduum. Quod ſi tandèm non potuerit, oppoſitos eſſe affirmet. Hæc de iſto opuſculo ſufficiant, & de tota noſtra Scientiarum via, quæ vtinàm in gloriam Sanctiſsimę Trinitatis, B.V.Mariæ de Monte Carmeli, & omnium Sanctorũ redundent. Cedant etiam in glorioſam tui memoriam Doctor Sanctiſsime Thoma, cuius mentem tenere fideliter ſtudui; adeò vt ab ea, vt aiunt, nolim diſcedere vnguem. Quod ſi hunc finem nactus non fuerim, licèt in minimo, libenter me retracto. Fave, & fove.

*

*Omnia correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubijcio.*

# LAVS DEO.

IN-

# INDEX COPIOSISSIMVS ALPHABETICVS RERVM, NOTABILIVMQVE VERBORVM.

Notandum est initio huius Indicis, quòd licèt ferè omnes termini, qui in his opusculis explicantur, habeant aliquas acceptiones, vt in proprijs locis notatur; tamen possunt plurimas alias pati ex octogintaquatuor, vel octogintaquinque, quæ ponuntur opusculo 2. cap. 19. & 20. quæ locis ibi citatis explicantur. Notetur etiam quod loco opusculi hìc ponitur opusc. loco capitis, cap. & loco numeri n.

## A



Q trin-

Con-

# D



Q 3

# F

In-

Me-

Per

Re

Au:

# T



# V

LAVS DEO.

